

R/ASOM

# MYSTERIA SSMI. ROSARII,

VERSU HEROICO CONCINNATA

A

D. Francisco de Valle,

Ecclesiae Cathedralis Legionensis Canonico,

ET PROVINCIALIS INSTITUTI DIRECTORE.

ALTAIR LIBRERIA  
LIBRERIA ALTAIR



LEGIONE:

APUD EMMANUELEM G. REDONDO.—1859.

# MISTERIA SANTÍMOS ROSARI

AÑO MCMXII CONSUMATA

A

①. PAGINACION DE LA

PROCESSIONES CATHOLICAS REGIONALES CATHOLICAS

DEL PROVINCIAL INSTITUTO DIRECTORIAL

---

*Es propiedad del autor quien demandará ante la ley al que lo reimprima sin su permiso.*

---



REGIONE:

Año UNIVERSITARIO G. REDONDO - 1923.

---

# B. V. M.

SUB TITULO SSMI. ROSARIU

**HUMILLIMUS EJUS SERVUS.**

---

*Parce, precor, clementissima Mater; vereor etenim, ne, dum Te laudibus extollere conor; potius deterere videar. Sed mea erga SSmu. Rosarium, ab ineunte ætate è parentibus; à puerilia è sacro Prædicatorum Ordine hausta devotio; vestraque in ejusdem confratres notissima protectio: eò adduxerunt animum, ut hoc opusculum, qualemcumque est, vestro Sancto Nomi dicandum censerem. Faxit omnipotens filius, cuius gratiam per vestram invoco intercessionem, ut, tum ad vestram gloriam prædicandam, tum ad nostros mores reformatos, prout est in votis, deservire valeat.*

**AVE MARIA.**

.M . V . B .

SAN LUTUTO SANI, ROSARIO

HUMILITISSIMUS ETUS SERVANS

— — — — —

Patre, precor, clementissima Mater; precor te-  
nem, ne, quod Te laudamus et tollere coros; potius ad-  
fletere sibem. Sed mea sita Susanna. Rosaria, ap-  
petuisse etiam e qua tristitia e saeculo Pia-  
dicatiorum Olympe summa destruxit; restituta in glori-  
am certe optime possissa pietate; ea anniversarii  
annuum, in peco opusculum, ducendum est, eas vero  
secundato voluntate dicendum concesserat. Hoc autem  
fons hinc, cuius dulcissima beatissima innocencia intercess-  
sionem, in tum ac vestrum praeservacionem  
cum in multis modis felicitationes, prius est in toto  
descrivit.

AVE MARIA

De nomine à uincere ratione sic orio potosoi.  
Prolixe superè celerum ab eis ratae ministrum  
**MYSTERIUM DE VERBI INCARNATIONE.**

I. Espousi, Iulianus, in misericordia misericordie:

Propre duorumque, pectori meo dicitur satis  
Miser ut esse velit, servato sole nobis.

**V**ISITA in extremis Galileæ partibus extat  
Nazareth, ab Solymis bis denis dissita leucis,  
Stricta loco, pauper, circumdata montibus altis.  
Ast Deus omnipotens, qui ex imis summa levavit,  
Insignem celebri successu fecit eamdem.  
Hic residet virgo præ cunctis sanctior una  
Virginibus Judæ, lessé de stirpe Maria:  
Pontificum, Regumque licet de sanguine nata;  
Attamen obscuram dicit sine nomine vitam.  
Nobilitas summa sub paupertate latebat,  
Virtus in exigui secreto limine tecti.  
Nota Deo tantum, tantum dilecta per Illum,  
Hanc sibi præ reliquis elegit, mater ut esset,  
Insuper et virgo simul, admirabile dictu!

Venerat ille dies, quo, tot labentibus annis,  
Venturum sub carne Deum cecinere prophetæ.  
Tunc Pater Aeternus, sortem miseratus iniquam  
Humani generis, peccati pondere pressi,  
Mittere decrevit Filium, salvare ligatos

Dæmonis à vinclis: rerum sic ordo poposcit.  
Protinus æthereâ celerem de gente ministrum  
Evocat insignem vultu, et radiantibus alis.  
I, Gabriel, dixit, tu nuncius esto Mariæ:  
Labere quamcitus, perfer mea dicta per auras,  
Mater ut esse velit, servato flore pudoris,  
Ejus, ab æterno lumen qui à lumine, verus  
Est Deus, et verus Filius, sine matre profectus,  
Ex Patre dumtaxat genitus, prolesque coæva  
Dixerat: ille tamen, diffindens æra pennis,  
Ocyor electri scintilla, tecta Mariæ  
Ingreditur rutilans, dum supplex Numen adorat,  
Atque perillustris legati munus adimplens,  
Talibus alloquitur verbis Jesseide natam:  
Virgo, decus David, Judeæ gloria, Salve:  
Est Dominus tecum, cui gratia plurima ab Ipso,  
Tu benedicta, super quoquot sunt, femina solum.  
Concipes, paries filium de nomine Jesum:  
Hic erit Æterni Filius, Regnator Olimpi,  
Cui solium David promissum ab origine mundi,  
Jacob in æternum sobolem moderabitur Ipse.  
Attonitæ similis, confusaque turbine mentis  
Insolito; tremula, atque genas suffusa rubore,  
Omnia tuta timens, rumpit de pectore vocem;

Angele: *qmene putas puerum nunc edere posse,*  
*Nescia quæ thalami, tactusque ignara virilis?*  
Quomodo fiet opus? responde, quomodo fiet?  
«*Numinis afflato fiet; depone timorem.*»  
Te super adveniet divini Flaminis aura,  
Et virtus Domini, illibatum corpus obumbrans;  
Dona pudicitiæ simul intemerata manebunt.  
Elisabeth cognata tua infæcunda remansit  
Flore juventutis; nunc autem tempore sero  
Concepit puerum; semestrem gestat in alvo.  
Difficilis factu summo res nulla Potenti.

Ast virgo, angelicis haud hærens credere verbis:  
Non ego, respondit, me dignam talis honoris  
Esse quidem reproto; sed si divina voluntas  
Me, licet immeritam, ejus deservire decretis  
Eligit; en famulam, *fiat mihi:* dixit adorans.  
Consensu explicito, cælestis panditur aula,  
Deque sinu Patris subito descendit in alvum  
Virginis Æterni Filius; Verbumque supernum  
*Fit caro*, desumens puro de sanguine corpus.

Angelus æthereas sublimis scandit in arcæ:  
Virgo habet in terris intra sua viscera templum.  
O felix Virgo, nostræ spes certa salutis!  
Illud *ave sumens* blando Gabrielis ab ore,  
Damna refecisti, quæ nobis intulit Eva.

Ordine, nomen *ave*, mutato, transit in *Eva*,  
Nominibus pariter rerum respondet idea,  
Ordine diverso procedunt ultraque mater,  
Eva, venenosi serpentis credula dictis,  
Mortifero infecit tabo genus omne futurum.  
Credidit aligero, portanti verba salutis,  
Et caput Ignivomi contrivit maxima Virgo,  
Utraque crediderant, ast hoc discrimine tanto:  
Præstítit illa fidem insidiosis artibus anguis;  
Præstítit Ista fidem sermoni Numinis almi,  
Prima etenim falsum, verum est amplexa secunda,  
Altera terrestris paradisi limina clausit;  
Altera Christicolis pandit cœlestia regna.  
Idcirco meruit bene dici *Janua cœli*,  
Elevat ad culmen submissio sancta Mariam:  
Dejicit atque Evam demens elatio mentis,  
Talibus exemplis, quam dispar ultraque mater!  
Optima grata Deo integritate, fideque,  
Atque humili præstans omnes virtute pueras,  
Discite, Christicolæ, illibatam ducere vitam;  
Discite divinis constanter fidere verbis:  
Discite de vobis nunquam sentire superbe;  
Tu quoque, sancta Parens, ex alto vertice colli,  
Respic nos miseros, *Eva de semine natos*.

## DE VISITATIONIS MYSTERIO.



ANGELUS affuerat; somno velut excita Virgo  
Mente volutabat, quæcumque accepit ab illo.  
Elisabeth gravidæ cum primum venit imago,  
Illico cognatam decrevit visere; non quo  
De verbis dubitet, retulit quæ nuncius ales;  
(Nulla fides esset credenti, quæ videt ipse;)  
Sed quo virtutis, major quæ nulla videtur,  
Munus adimpleret, divino percita motu.

Condita ab Hebero, Semi de sanguine creto,  
Urbs Hebron fuerat, qua nomen traxit Hebræus,  
Nazareth absistens sere centum millia passum.  
Hanc colit Elisabeth, sociali fædere pridem  
Juncta Zachariæ, cui linguae perditus usus.  
Huc fixum est animo raptim contendere; namque  
Terret ab incepto castam res nulla Mariam:  
Non iter insolitum summo discriminè vitæ,  
Per loca deserta, aut præruptis invia saxis.  
Pectore terror abest, animæ dat gratia robur,  
Virtus cara Deo casus supereminet omnes.

Haud mora: tunc rebus paucis, levibusque paratis,  
Regia progreditur Virgo sublimis asello,  
Namque pari formâ, quem natum gestat in alvo,  
Is Solymis aderit quondam sub honore triumphi.  
Solane procedat? num sit comes additus illi  
Josephus sponsuſ? reticent oracula sacra.  
Sola sed, haudquaquam; vere portatur ab illa,  
Quam regit ipse, Deus, lux, dux, servator, et author.  
Quin etiam emissis cœlo legionibus almis,  
It latus aligerûm circumdata millibus, atque  
Laudibus Excelsi totus sonat undique campus,  
Christiferæ sensus blandâ dulcedine mulcit,  
Gutturē dulcisono modulando, picta volucris,  
Reginam, Regemque suum laudare peroptans;  
Horrida per sylvas cicuratur bestia fremens;  
Ardua, dum transit, declinant culmina montes;  
Concava depletur, scandens sublimia, vallis;  
Sub pedibusque patet Peregrinæ pervia terra;  
Floribus exundans nitidis, fæcunda viretis.  
Omnia cognoscunt naturæ Numen adesse.  
Solus homo infelix, quem propter vilia servi  
Induit ipse Deus, secreti nescius extat,  
Obsequiumque suæ renuit præstare Parenti.  
Jamque perantiquæ muros intraverat urbis,

Tecta Zachariæ penetrat i cognata Maria.  
Elisabeth celerans occurrit, brachia tendens.  
Et breviter dulces inter amplexus adhaerens,  
Lætitia exultans, rumpit de pectore vocem:  
«Unde ego promerui tam celsum culmen honoris?  
»Ut Domini mater famulam dignetur adire?  
»Protinus ut nostras tua vox pervenit ad aures,  
»Lætitia gestit puer intra viscera clausus.  
»Tu benedicta esto, benedictus sit quoque fructus,  
»Quem gestas utero; Proh! terque quaterque beata.  
»Credere quod Domini verbis tam digna fuisti!  
»Quæ Deus ipse tibi præmisit, perficiuntur.

Tunc afflata Deo virgo sic incipit ore:  
«MAGNIFICAT Dominum, cui soli gloria summa  
»Mens mea; gaudebit cor nostrum semper in illo,  
»Qui mea spes animæ, lux est, et origo salutis.  
»Respiciens humili famulam virtute jacentem,  
»Propterea fecit famam super æthera notam,  
»A cunctis populis vocitabor valde beata.  
»Omnipotens equidem fecit magnalia mecum, iup., sicut  
»Eius in æternum sanctum et venerabile nomen.  
»Progeniesque pium cunctæ videre timentes,  
»Indomitæ dextræ dispersit mente superbos;  
»Detrusit solio, meditantes alta, potentes,

O munere beatissimæ, latè quo ducis morte.

» Divitiis plenos subito dimisit inanes; q. a. q. a.  
» Omnibus atque bonis miseros cumulavit egenos. E. a. a.  
» Immemor haud fuerat gentis Miserator Hebraeæ, v. id  
» Subque suo exceptit puerum tutamine Iacob, x. s. l. i. t.  
» Patribus ut nostris olim persæpe locutus, u. n. d. e. o. b.  
» Abramo et soboli promisit tempus in omne. U. D. o. m.

Interea tempus partus felicis Elisæ. P. B. «  
Venerat, et puerum peperit, qui nomine dictus. S. l. i. t.  
Auspicio cœli, muto scribente, Ioannes, s. l. i. b. s. e. n. d. u. T.  
Atque Zacharias, cui Virgo linguae resolvit. Q. a. g. m. o.  
Vincla, prophetavit, divino Numine fatus. O. p. r. e. s. t. e. s. i. s. t. e. s.  
Ergo domum Virgo, donis celestibus aucta; Q. a. D. e. a. u.  
Deserit; et propriam, Iesu comitante, tetendit. T. b. o. o.

Inspice quanta simul fiunt miracula; quippe M. A. G. N. I. H. P. M.  
Stricta Zachariæ solvuntur vincula linguae; M. e. n. t. e. M.  
Utraque cœlesti repletur lumine mater; Q. u. i. m. s. e. s. a. e. s.  
Exilit ex utero Præcursor sanctificatus. T. u. s. q. u. i. c. u. s. p. u. n. d.  
Omnia contingunt, ipsamet teste Maria, P. r. o. p. t. e. r. e. s. i. e. l. i. l.  
Auxilii causâ venit, quæ tempore partus. L. e. n. c. e. s. i. s. p. e. q. e. l.  
Talia, qui miseris succurrunt, præmia dantur. s. o. q. u. i. m. O. a.

Hisce sub exemplis imitaberis acta Mariæ; v. n. a. n. l.  
Carcere detentos si visis mente benigna, s. u. p. e. s. i. n. g. o. r. l.  
Si panem miseris, præbes solatia mæstis, x. e. b. s. t. i. n. o. b. o.  
Das veniam lapsis, ægroti vulnera sanas; o. l. o. c. s. t. i. s. t. e. s. i. l.  
Omneque perficias, fraterno ductus amore.

JOSEPH VOLENS DIMITTERE MARIAM.

**N**azareth ut primum pervenit Regia proles;  
Quam semel instituit, vitam traducere tendit,  
Consueto residens thalamo, et penetralibus imis.  
Assiduis precibus supremum Numen adorat.  
Ipsa suis manibus telas vel pectine texit,  
Vel superimponens diversa in stamine fila,  
Proxima nativis depingit signa figuris.  
Interea Ioseph, operosæ deditus arti,  
Pauperiem relevat, manibus fabrilia tractans:  
(Huccine devenit Regis prosapia David!)  
Creditur ipse tamen cunctis locupletior unus;  
Pignus habet secum, quo non pretiosius usquam.  
Conjugis augustæ totus dependet ab ore,  
Nil agit, excogitat, meditatur, quin prius Ipsa  
Approbet, ambobus mens est, eademque voluntas.  
Attamen in terris nil non mutabile: sicut  
Æquora jam tumidis agitantur fluctibus, inque  
Littora devolvunt magno stridore procellas;

Jamque silet pelagi murmur, spirantibus auris,  
Et nitidus fulget cœlo Sol, nubila pulsans:  
Sic est vita hominis, dum mundi navigat aquor.  
Sæpe per immanes opus est decurrere cautes;  
Raró per undosi tranquilla silentia ponti.  
Quoque magis superis est charior, hoc magis ipse  
Ærumnis premitur magnis, patiturque frequenter.  
Et labor, et dolor ingens sunt patrimonia justi;  
Augetur meritum, cum crescit causa merendi,  
Accipe, ni credas, quod Joseph contigit olim.

Tempore transacto, sensit turgescere claustrum  
Virginis, inque dies curvari pondere pressum.  
Fallor? ait, num me sensus decepit imago?  
Sed quoties specto, toties ob lumina sistit  
Fæmina, quæ gestat tenerum intra viscera fætum.

Forsitam, adjecit, vitiato ventre labore?  
Pallida sed nunquam, nunquam suspiria prompsit;  
Vivaces oculi, roseus color, et vigor ingens:  
Talibus indiciis quænam censembitur ægra?

Numquid erit, de qua sacri dixerit prophetæ?  
Quod paritura foret, post partum Virgo manendo,  
Promissum Patribus Messiam semine David?  
Tunc minimè eligerer sponsus, sociusque Mariæ.  
Qui fieri posset peccator, labe notatus,

Virginis ut puræ consors sit dignus haberī?  
Et faber ignotus, nullis memoratus in oris,  
Ut pater Excelsi reputatus gentibus esset?  
Non equidem simili dignum me rebor honore.

*Ergo nefas aliquod pura de Virgine credam?*  
Omnia crediderim; sed non peccasse Mariam.  
Testis ego vitæ, quam dicit criminis expers.  
Sola domi remanens, vilat consortia prava.  
Sive operæ manuum, seu sacris dedita libris.  
Pertimet Ipsa Deum, veneratur nocte dieque,  
Corporis ac animæ pudor est illæsus ab ortu,  
Justitiæ retinens, observantissima legum,  
Sæpius afflictis lacrymas detersit amaras,  
Pauperibus tribuit, quantumvis indiga, panem;  
Omnia virtutum complevit munia solers.  
Hæc mihi nota prius; notus quoque fætus in alvo;  
Fecimus et votum neutrius corpora tangi,  
Utraque virginitas Omni sacra Potenti.

*En ego quid faciam! num Patrum legibus utar?*  
Ibit enim, vincitis manibus post terga, Maria  
Per medium Solymam, dispersis erinibus, atque  
Carnificum stipata manu, turbaque loquaci,  
Sibila percipiet passim, et petulantia verba?  
Ibit, et in campo lapidum sub monte sepulta.

Probrosam generi maculam legabit inustam?  
Siccine decedit sancta et pulcherrima Virgo?  
Dicar ego silicis gestare in pectore corda,  
Dicar et immanni nutritus lacte ferarum,  
Quas Atlas gelidus gignit, vel Caucasus horrens.  
Aut eadem simul est mihi mors subeunda;  
Aut pedibus subter desursum terra dehiscens,  
Devoret ante, precor, quam Te traducere vellem.

*Numquid præstiterit cautè dimittere sponsam?*  
Ergo relinquendi, queis sum dilectus, amici,  
Et domus illustris patrum, Judæque nepotes;  
Quodque magis fixum cordi est, urbs sacra Sionis?  
O Solymæ, ò Regum domus, et dilecta Jehova  
Limina! vos iterum nunquam fortasse videbo.  
Longius hinc abeam, Lybiæ deserta peragrans,  
Ostia seu relegens pinguis septemflua Nili,  
Sive rigescentes æterno frigore terras.  
Quæ me cumque ferat, semper depungar eodem  
Crudeli stimulo, qui cor transfigit acerbe.  
Cara mihi conjux, meliori conjugæ digna,  
Dulcis spes animæ; mea lux, mea sola voluptas:  
Nec sine te possum, nec tecum vivere junctim.  
Jamque vale nostro, commixtum fletibus, ore  
Accipe supremum; miserum me! postea numquam:

Quid loqueris, Ioseph? quæ te vesania torquet?  
Si bona, cur linquis? sin prava, cur allicis Ipsam?  
Proh Deus omnipotens! precibus si fleteris ullis,  
En miserum servum, diris cruciatibus actum;  
Eripe me dubiis, atque his exolvito curis.

Antipodas recto lustrabat lumine Titan,  
Cum Ioseph curis defessos occupat artus  
Somnus, et in lecto decumbit semisopitus.

Ecce coruscanti resplendet luce cubile;  
Angelus apparet subito, qui talia profert:  
«Regia progenies; dubitas num sponsa fidelis?  
»En ego de Cœlis, quando haec te cura remordet,  
»Missus ab Excelso, venio lenire dolorem.  
»Ne timeas, etenim pura est super astra Maria.  
»Quem gerit in utero fructum, de Flamine sancto  
»Provenit, intacta, immaculataque mansit,  
»Accipe consortem; depelle ex corde timorem.»  
Dixerat; confestim disparat nuncius ales.

Excutitur somno; lætus, simul et tremebundus  
Ingreditur tacite sacrum penetrale Mariæ.  
Et, genibus flexis, venerando Christiparentem:  
«Parce, rogo supplex, misero jam parce, petenti  
»Excessus veniam, nam me meus abstulit error.  
»Ancipi dubio ductus, malesanus amore,

» Linquere te volui; nunc autem pænitet, eheu!  
» Surgito, mi Ioseph, inquit Jesseida Virgo.  
» Dedeceat ancillæ Dominum genuflectere coram.  
» Tu mihi, tu potius debes ignoscere, spouse,  
» Quandoquidem pænas pateris me propter acerbas.  
» Sum miserata tui; doluique, quod ipse dolebas.  
» Si mihi per Superos licuisset pandere tecta  
» Numinis arcana; hanc misisses pectore curam,  
» Solveare de dubiis poteram tantummodo verbo.  
» Attamen intererat secreta abscondere Regis,  
» Atque sacramentum teneor servare fidelis.  
» Neu tibi persuasum finem imposuisse laborum;  
» Magna tibi restant, mihi sunt majora ferenda;  
» Maxima portabit, quem sum paritura, Redemptor,  
» Macti animo simus, Ioseph, sic itur ad astra.  
Talibus effatis animus requiescit ejusdem,  
Omne, quod acciderit, patienter ferre parati.

Quicumque ad Superum tendis felicia regna,  
Rebus in adversis animo ne concide; quippe  
Fert Deus auxilium, quibus est constantia firma.

El Genes. — omnia sunt primariae naturae. I lumina considerant primariae naturae. Sunt viae secundum iugendem, quae sunt invenientur in genere. MYSTERIUM NATIVITATIS D. N. J. G.

**B**is duo transierant annorum millia, postquam  
Conditus Orbis erat: morituri verba prophetæ  
Irrita non fuerunt; prædicto tempore namque  
Imperium Solymis transfert Deus orbis in urbem.  
Fascibus Augusti, qua extenditur undique, tellus,  
Subditur; armigeri clauduntur limina Jani;  
Et cunctos populos summâ cum pace regebat.  
Jusserat, immodicæ tractus dulcedine famæ.  
Imperio fieri nullo discrimine censem,  
Jusserat et Præses Galileæ in parte Cyrus  
Quemlibet adscribi populo de stirpe parentum.  
Pertulit ad aures Iosephi nuncia fama.  
Cæsaris edictum; nec jussis stare recusat.  
Hoc opus, hic labor est, hæc summa angustia rerum.  
Virginis urgebat pariturae temporis ætas;  
Est via difficultis, rigidum, ac penetrabile frigus,  
Nempe decembrali contingens lumine metam,  
Sol minus elucet, minus æstu confovet agros.

Flumina consistunt brumali nexa pruina,  
Sub nive tecta latent, ingenti pondere pressa,  
Montibus in altis albescunt culmina longè,  
Arboribusque suâ nudatis fronde pependit  
Nix concreta gelu, puroque simillima vitro.  
Quocumque aspicias; aut nix, aut gramen adustum.  
Horridus est campus, nec dulcis cantat aëdon;  
Sed fera, terrificis complens ululatibus auras,  
Ore cruentato insidias prætendit eunti.

Pectora discruciat Patriarchæ saucia cura.  
Non timet ipse suum caput objectare periclis;  
Conjuge pro cara timet, ipsiusque salute,  
His licet adversis objectus casibus, ire  
Nititur in Bethelem, Regis cunabula David.  
Non capit innumeratas, quæ adventant undique, gentes  
Ambitus exigui, celebri sed nomine Villa;  
Nec patet ulla domus peregrinis hospita tantis.  
Insomnes igitur tam longas ducere noctes  
Cogitur in stabulo, brutis comitata, Maria.  
Haec eadem vates multò prædixerat ante.

Contigerant medium labentia sydera metam,  
Cunctaque perplacidum carpebant nocte soporem:  
Cum Patris æterni filius de Virgine casta,  
Factus homo, nasci voluit Deus, ac homo verus;

Et Genitrix virgo post partum pura remansit.  
Nascitur in Bethelem; minimis ex urbibus una;  
Nascitur in stabulo, præsepe est cuna tenelli;  
Nascitur, ut pauper, penus ipsi deficit omne;  
Nascitur abjectus, servi vestitus amictu,

Quis te, parve puer, quis te dignoscere possit?  
Tune Deus, qui per *Fiat*, quod prodiit ore,  
Ex nihilo subito cœlum terramque creasti?  
Tune Deus, per quem Jordanis retro cucurrit,  
Urbs Jericho cecidit, cementis eruta priscis,  
Fulmine nutarunt Sinai fastigia montis?  
Tune Deus, rerum Dominus, Regnator Olympi,  
Qui ditas inopes, opulentos linquis inanes,  
Detrudis solio reges, humilesque reponis?  
Curnam te miserum cerno, paleisque cubantem.  
Fundentem lacrymas, enectum frigore pene?  
Quis te, parve puer, quis te dignoscere possit?  
Majestas occulta latet sub tegmine vili;  
In terris hominem, sed Numen in Æthere nosco.

Lucifer in cœlis radiis vibrantibus exit,  
Nuncius auroræ, resplendet lumine campus  
Insolito; dulci resonant arbusta melodi,  
Cætus et angelicus concentu personat hymnum  
*Gloria in excelsis:* pastorum nescia turba,

Prodigium mirata novum, stupefacta remansit.  
Ire juvat Bethelem rerum cognoscere causas.  
Attonitos visu, subitus tremor occupat artus,  
Virginis ut filium spectant, præsepe jacentem,  
Confotum gremio matris, fænoque animantum,  
Pauperiem similem nusquam vidisse fatentur.

Sic erat abjectus, qui nubibus intonat altis;  
Perfusus lacrymis, retulit qui gaudia mundo;  
Inclusus stabulo, totus quem non capit Orbis;  
Præcinctus brutis, cui plusquam millia centum  
Aligerûm summo famulantur vertice cœli.

Talia virtutis nobis exempla reliquit.  
Præsepe infantis cathedra est, nos vera docentis,  
Corrigit ex cathedrâ, quos auri devorat intus  
Dira fames, nummos per fasque nefasque parantes,  
Et miseros inopes magno cum fænore vexant.  
Queis domus obrizo fulget laquearibus auro,  
Mensaque magnifica, et variorum plena ciborum.  
Corrigit ex cathedrâ, quoscumque ambitio, luxus,  
Mollities agitat, vel inanis gloria mundi.  
Edocet ex cathedrâ vanum contemnere fastum,  
Sternere divitias, patienter ferre labores;  
Diligere alterutrum, quo nos dilexit amore,  
Denique, quæ docuit, fecit, fecitque libenter,

Non opus humanam fuerat sibi sumere formam,  
Humano generi ni vellet prodere normam,  
Tendat ut in cœlos, ejus vestigia sectans.

O amor! o bonitas solius propria Iesu!  
Quod tibi pro tanto reddemus munere munus?  
Nil, nisi purus amor, fuerit pergratus amanti,  
Sicut amor simili persolvi debet amore;  
Sic dolor æquali correspondere dolori,  
Compatitur, patitur, gaudet, congaudet in unum,  
Quicumque alterius constans, et fidus amicus,  
Si te Iesus amat, redama; dolet Ipse? doleto,  
Reddere par paribus fas est, et quisque tenetur.

### PURIFICATIONIS MYSTERIUM.

**E**NDE, Sacra Sion, nunc vestimenta salutis,  
En dominator adest, ejusdem visere templum.  
Legifer humanis se subdit legibus ultro,  
Virgo parens ejus sequitur vestigia nati.  
Nullibi tam fausto sese jactare triumpho  
Lex potuit, nisi quando in templo victimæ duplex

Ejus in imperium se præstat sponte suape.

Sordibus immundis quantumvis libera partus,  
Purificanda venit præfixo tempore mater:  
Et rerum Dominus, cui totus subditur orbis,  
Servus ut infelix, redimendus, perstat ibidem.  
Summa quidem virtus, summorum dignaque Regum!  
Quid nunc, diva parens, opus est subjicere legi?  
Quæve tibi purganda lues, purissima cum sis  
Virgo Dei Genitrix, quæ humani seminis expers,  
Nullum passa virum, genuisti Flaminis aurâ,  
Quem gremio natum portas, intacta pudore?  
Quidve opus est filio se sisti limine templi,  
Virgineæ penitus qui obstructo carcere vulvæ,  
Editus in lucem, (mirandum) non secus atque  
Postea, sarchofagi non moto marmore, surget,  
Ostia vel sacri penetrabit clausa cubilis?  
Sanctior in Sanctis num sanctificabitur ultra?  
Et redimendus erit, redimit qui cuncta Redemptor?  
Non igitur filius, nec mater lege tenentur.

Insuper, alma parens, cui magno semper honori  
Virginitas fuerit, reliquis permixta Sionis  
Matribus, in templum nullo discrimine perges?  
Gloria Christiparæ, qua prætas omnibus una  
Nulli nota prius, tenebris occulta latebit.

Tuque, puerque tuus, verus Deus, ac homo verus,  
Ambo putabimini ex infecto semine nati.

Talia, qui mundi vesanos ambit honores,  
Corde volutaret: cogitat magis alta Maria.  
Legibus infantem subjectum viderat ante;  
Non secus ipsa sibi demum factura videtur;  
Amplaque magnifici percurrens atria templi,  
Ingreditur supplex: Jam nunc, Malachia propheta,  
Cernimus impletum, quod multis solibus ante  
Tu fore dixisti, divino Numine flatus.

Pontificis munus, redimitus tempora vitta.  
Longævus Simeon implet; venerabilis, almus,  
Justitiae cultor, virtutis præditus omnis.  
Qui, simul ut puerum è maternis accipit ulnis,  
Verticis à summo plantam pedis usque repente  
Perlustrans oculis, figensque in singula mentem;  
Obstupuit, tremuit, subito vox faucibus hæsit.  
Tempore post pauco fertur sic ore locutus;  
«Fallor?:: an est missus promissus Patribus olim?::  
Ipse procul dubio; tacito nam pectora motu  
Excitat Omnipotens; afflatam sentio mentem.  
O lux hebraicæ, spes et fidissima, gentis!  
Contigit unde mihi cernendi gloria tanta,  
Quem Patres nostri lacrymis, precibusque vocarunt?

Et video, et teneo, tremulisque amplector in ulnis.  
Nil superest reliqui; placida jam pace quiescam;  
Quandoquidem missus, populos qui illuminet omnes,  
Humani generis Salvator, gloria Jacob.

Inde matrem versus direxit verba Sacerdos;  
«Hic, ait, æternæ quamvis sit causa salutis;  
Attamen innumeris æternæ perditionis,  
Scilicet ipsius verbis qui credere nolint;  
Seu si crediderint, eadem servare recusent.  
Quem manibus teneo, mater purissima, natum,  
Hic erit affectus flagris, vibicibus atris,  
Probrosis verbis, atroci denique morte;  
Spiritus ipse tuus gladio pungetur eodem.»

Lumina cum palmis tollens ad sydera Virgo:  
«En, Pater Omnipotens, Te coram victima duplex,  
Quidquid sit placitum, fiat; natumque recepit,  
Poplitibus flexis, et figens labra labellis:  
«Te Pater Æternus, dixit, jam destinat aræ;  
Te sequar, ambo simul, mea lux, moriemur in illa.»

Dixit: et è templo, sponso comitante, recessit,  
Mortiferum gestans, transfixo pectore, vulnus;  
Multæ super filio secum, cum conjugæ multæ  
Colloquio versans; iterumque, iterumque revolvit  
Tristia, fatidicus, quæ fecit, verba, Sacerdos.

Hæc memorans, puerum nunc strictis implicat ulnis,  
Oscula nunc fronti, nunc blandis libat ocellis,  
Oraque perfundit lacrymis, opresa dolore.  
Non tamen idcirco queritur; sed Numen adorat,  
Altaque supremi veneratur facta Parentis.

Hæc brevis istius summa est, carissime lector,  
Misterii: superest, ut tu pro parte virili,  
Virginis ad instar, mores componere velis.  
Do tibi consilia, et tu firma mente teneto.  
Sis licet ad summum provectus culmen honoris;  
Ne extollas animum, nec dignabere legis  
Esse sub imperio: quò quæque est altior arbos,  
Altius in terram radices mittere tendit.  
Est humilis carus; pertæsus mente superbus.  
Dejicit ipse Deus, qui se exaltaverit ipsum;  
Elevat è contra dejectum pulvere terræ.  
Virginis exemplar maneat tibi mente reposum,  
Quò magis occulitur divinæ gloria matris;  
Hoc magis in templo celebratur Pressulis ore.

Dà mihi, sancta parens, motus cohibere superbos;  
Da mihi præceptis divinæ subdere legis.  
Et veluti filium, pro nobis sacrificandum,  
Ordinibus Patris conformis sponte dedisti;  
Sic ego sacrificem corpusque animamque per illum,

Tuque tuum natum, cuius pietatis es, ora,  
Compos ut evadam, quod plus desidero, voti.

Quandoque uerolam oblongam  
Humectat uero uirga, et uero uirga  
Hunc uero uirga, et uero uirga

**IESUS SOLIMIS AMISSUS, ET IN TEMPLO  
INVENTUS.**

**T**EMPUS erat, quo mente pia solemnia sacra  
Paschatis Hebraicæ celebrat prosapia gentis.  
Solis ad ocassum ex Ortu, Dan Bersabe adusque,  
Quâque rigat terras citra Jordanis, et ultra;  
E cunctis tribubus, facto velut agmine, gentes  
Undique decurrunt Solymas per strata viarum.  
Fæmina fæmineos turmatim, virque virorum  
Quisque choros ducit: devotæ turba canora  
Davidicos dulci recitat modulamine psalmos;  
Et nomen *Adonai* venerandum duplicat echo,  
Ingeminant valles, reddunt montana Judeæ.  
Totus ubique sonat divinis laudibus æther.  
Vix erat hospitibus capiendis urbs Solymorum  
Apta, licet fuerit longis circumdata muris.

Huc quoque pervenient, sacro spiramine ducti,  
Virgo parens, conjux, et Iesus subditus illis.

Non opus est dicto, quanta pietate replete  
Tres animæ justæ celebrarint Pascha; peractis  
Ritibus, ad proprias statuunt se vertere sedes.  
Urbis in egressu dilectus utrique parenti,  
Multiplicis turbæ se miscens agmine, natus;  
Vel potius Cœli quia sic decreta ferebant;  
Substrahit ex oculis sese, vultuque parentum.  
Consuetum repetunt iter, ut prius, agmine sexus  
Diviso penitus (pueris licet esse in utroque:) Iusq[ue] ieiunio d  
Alter in alterius comitatu creditit esse.  
Agmine quisque suo tendens, fecere diei Deinde beveri  
Sic iter unius, quando sub vespere sero Per aviccas, b  
Hospitii venere domus, quas ante solebant.  
Obstupuit Ioseph, stupuit dulcissima Virgo, Siq[ue] p[ro]p[ter]e  
Cernentes puerum neutrini cætibus isse.  
Anxius est animus, num sit detentus in Urbe, O b[ea]t[us] ieiunio  
An comes agnatis, ut mos est, additus ipse P[er]cutiens l  
Venerit, inque locis fuerit cunctatus eisdem. T[ame]n q[ui]d  
Quæritur incassum per diversoria cuncta. Solas, et ieiuni  
Ergo iterum Solymas redeundum protinus ipsis. Q[ui]s m[od]estus  
Interea stimulus, circum præcordia fixus, Et cunctis in  
Pectora discruciat simul utriusque parentis. Te aviccas, b  
Nec cibus accipitur, nec dantur membra sopori, Rese be  
Hæret corde dolor, cui à mens pervigil extat. P[er]ficit g[ra]m

Lucifer Arnonis vixdum superaverat alti  
Culmina, cum relevant è lecto corpora casti  
Consortes, rapiuntque viam perniciter ambo.  
Luce sub ambigüa quæcumque objecta videntur  
Persimiles oculis nati perferre figuras.  
Illico conclamat: *Iesu*; sed protinus hæret  
Spiritus amborum, deceptus imagine ficta.  
Implentur clamore viae, clamoribus àer,  
Impetitur querulis Cœlum clamoribus usque.  
Nil, nisi, percussis auditur vocibus, echo.  
Denique perventum Solymas; ubicumque requirunt  
Per vicos, plateas, etiam per compita; nemo  
Vel visum memorat, vel notum dicit ab illo.

Sic biduo muros lustrarunt intus et extra,  
Nec carum filium restat spes ulla videndi.  
O puer infelix! exclamat, pectora palmis  
Percutiens Ioseph, lacrymarum flumine mersus;  
Tramite deflexo, nunc forsitan devius erras  
Solus, et ignotus, victu, lectoque carendo.  
Quis mihi præcipites aquilæ det sumere pennas,  
Et cunctas subito terras ambire volatu?  
Te viso, vidissem, quod mihi carius unquam  
Esse potest nihil; amisso, jam vita superstes  
Pejor erit letho: vinclis exolvito, quæso,

Corporis hanc animam, tædet me lumine vitæ.  
Quandoquidem summis et vita, et lumine privor.  
Me tamen esse tui custodem, patris ad instar,  
Constituit Dominus, quænam pro munere danda  
Commissi ratio filii, cum perditus absit?  
Redde, precor, Iesu, redde in consortia nostri;  
Redde, precor, saltem gelidos dum spiritus artus  
Deserit; amplexus, feliciaque oscula jungens,  
Claude meos oculos, et tula pace quiescam.  
In mentem subeat te propter multa tulisse  
Et prius, et postquam materna exiveris alvo.  
Te eripui è manibus Tetrarchæ sanguinolentis,  
Te per arenosum littus, per torrida regna  
Ægypti incolumem duxi, incolumemque reduxi.  
Si merui quidquam de te bene tempore toto;  
Huc ades, ô puer, et nostrum miserere laborum.  
Sin autem culpæ, quarum me paenitet, obstant,  
Quominus ad vestras oratio permeet aures;  
Respice, mi Iesu, puram sine labe parentem,  
Ipsa dolore tui vitam traducit amaram.»

Hæc pater: at Genitrix imo sub corde dolorem  
Comprimit, et recolens quidquid Simeonis ab ore  
Audierat quondam, quæcumque adversa veretur.  
Pertimet, Agrippæ filius ne patris amore,

Ac odio in Iesum furioso percitus, ipsum  
Vel letho dederit, vel clausum carcere servet.  
Sic amor, et dolor, et nati tunc anxia cura  
Concrescunt pariter, cruciat privatio mentem.

Convenit inter eos puerum conquerere rursum,  
Decretum, quam quisque viam percurrere tentet,  
Terminus ambobus templum, signatur et hora.  
Ergo iter intentum peragunt, at quisque seorsim.  
Sollicitè nimium pergit sanctissima Virgo,  
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrans,  
Perlustrat tacitè, si forsan pignora cordis  
Cara sui videat, seu alter viderit usquam.  
Obvius est aliquis? confessim quærit ab illo:  
Vidistine, inquit, toto quem diligo corde,  
Præ filiis hominum forma, vultuque venustum?  
Dilectum filium:: miseram me! perditus errat.

Quis tuus est filius? dic, ô pulcherrima matrum,  
Et tecum quæreremus eum, quocumque moretur.

Candidus, electus multis è millibus, inquit;  
Sunt, veluti solis radiantia spicula, crines;  
Et dentes nivei, puro de marmore collum;  
Fulgentes oculi, duplex ut gemma coruscans;  
Albescit facies, roseo perfusa colore;  
In labiis ejus diffusa est gratia tota.

Quodque magis; senos cum bis compleverit annos,  
Dogmate cœlesti doctos supereminet omnes.

«Nec visus similis, dixit, nec spero videndum.

Non homo, sed Deus, esset, vel simul esset utrumque:  
Corporis ac animæ tot dotes, tamque præaltæ

Non sunt concessæ mortali sanguine ducto;

«Ast Genitrix talis meret edere natum.

Virgo valedixit, vultum suffusa rubore,  
Pectore sed dolor, haud inventa prole, recrescit.

Jamque per exigüas Libani sol fecerat umbras,  
Cum duo consortes (sic pactum) limina templi

Marentes adeunt; (Deus est in rebus acerbis

Unica spes animæ) exoratum, venit uterque,  
Interius penetrant, media in testudine templi

Respiciunt filium, Doctorumque agmine cinctum.

Ac veluti excussus somno, ludibria spernit,

Quæ nocte alliciunt vana dulcedine sensus;

Credere nolentes falsum sub imagine veri,

Paulisper dubitant, quoad ipsis omnia nota.

Sæpius intendunt dare circum brachia collo,

Sæpius absistunt, ne turbent verba diserta.

Namque puer coram legis Doctoribus extat,

Codicis hebræi pandens mysteria sacra.

Explicat hebdomades Danielis, Flamine moti,

Sive reproducit Jacob prænunciac verba,

Sive prophetarum volvens oracula, monstrat  
Venturum, venisse Deum sub paupere vesti,  
Magnifica pompa quem credunt esse futurum.  
Non aliter tenebræ noctis pulsantur opacæ,  
Cum nitido Phæbus perfundit lumine terras;  
Quam filius fabri, rupto velamine, rerum  
Abdita, doctrinæ perfusa luce, revelat.  
Et nisi durities cordis caligine mentem  
Obducat; certè Messiam noscere possent.

Temporis interea, compressa voce, parentes,  
Defixis oculis, arrectisque auribus adstant.  
Postea quam cœtus Doctorum cessit ab Æde,  
Dicere quis poterit per amantis jubila cordis?  
Dulcia mellifluo quo sunt data bassia nato!  
Quot teneri amplexus! quæ mixto gaudia fletu!  
Haec sunt Smyrnæo, aut Andino digna relatu  
Carmine, nam tantum refugit mea musa laborem.  
Tum matrem memorant filio sic esse locutam:  
Quid nobis fecisti sic? O nate, dolentes,  
Tristis ego, tristisque pater quæsivimus ambo.  
Tum filius: quare me quærebatis? in illis,  
Quæ Patris æterni sunt propria, me decet **esse**.  
Suspensi dubitant, quæ sit sententia verbis.  
Præcipuè mater tacito hæc sub corde volutat;  
Et simul in patriam redeunt, Iesu comitante,

Qui licet humanis carus, Patrique supremo,  
Providus, et sapiens, et natus cuncta gubernans;  
Subditus ipse suis patri, matrique remansit.

Multa sub unius nobis meditanda reliquit  
Mysterii velo divini pagina textus.  
Perdere quippe Deum, nihil est, nisi perdere vitam,  
Nam veluti palmes sine viti vivere non quit;  
Sic sine principio nullus quit vivere vitæ.  
Corporis est anima; ast animæ Deus est animator.  
Vivimus in Ipso cuncti, sumus, atque movemur,  
Quique Deum perdit, perdit simul omnia Secum,  
Divitias habeas, ridens fortuna secundet,  
Sint tibi quantumvis Cræsi patrimonia regis;  
Si Deus affuerit; fueris mendicior Iro:  
Repletur nihilo vacuum, quod gratia linquit.  
Nil mirum, si tanta sollicitudine natum  
Quæsierit Ioseph pariter cum conjugé casta;  
Esset ut ex illis disjunctus corpore tantum.  
¡Quid si per culpas nostris à mentibus absit!  
Proh dolor! æterni claudentur limina regni.  
Quicumque amissum vultis conquerire Iesum,  
Quærite simpliciter, constanter, protinus Ipsum:  
Invenietis enim: promisit Spiritus almus.

**Quærite, et invenietis.**

## VITÆ JESU, POSTQUAM IN TEMPLO FUIT

### INVENTUS, BREVISSIMUM CONPENDIUM.



RANSIGIT obscurè ter senos circiter annos  
Nazareth in villa vitam sine nomine Jesus.  
Nunc opus exercet patris, fabrilia tractans;  
Nunc sibi consimiles erudit dogmate legum;  
Nunc etiam precibus, cunctis exempla daturus,  
Supremum rogitat Patrem, veneratur et Ipsum;  
Et carnem macerat, sit quamvis criminis expers,  
Nec minimam possit posthac admittere labem.

Sic igitur vivens, ter denos egerat annos,  
Ac opus aggreditur cuiusvis viribus impar;  
Ni Deus humanam statuens assumere carnem,  
In se susciperet mundum renovare vetusum,  
Quis pravos hominum poterit describere mores?  
Israel in partes sese divisit: et aras  
Erexit, Solymas contra, Samaria discors.  
Postea quam vates, veri prænuncius, ora  
Compressit; falsi tunc surrexere prophetæ.

Hinc Pharisæorum, virtutis nomine, secta,  
Ficta sed hypocrisis, multos errore fefellit.  
Inde Saducæi perficta fronte docebant  
Corporis ac animæ mortem simul esse ferendam,  
Præmia nec justis, nec pœnas sontibus esse.  
Alter in alterius partes, ut quemque ferebat  
Vel mentis ratio, vel cordis cæca cupidio  
Se dedit: oblitus Judæus sacra parentum,  
Mosaicam legem totam sus deque revolvit.  
Doctrinam sequitur pravam corruptio morum.  
Quisque cupidinibus constrictas laxat habenas;  
Jus datur injusto, miscetur fasque nefasque.  
(Huccine chara Deo devenit natio sancta.)

Interea Jesus decretum Patris adimplens,  
Munus evangelicum Galileæ cœpit obire,  
Sol velut exoriens umbras propulsat opacas,  
Vivifico pariter perfundens cuncta calore:  
Sic hominum mentes, errorum nube repulsa,  
Illustrat, pectusque adurit virtutis amore.  
Moribus antiquis alios opponere mores  
Præcipit; impuris, puram traducere vitam:  
Divitibus, largâ miseris succurrere dextrâ:  
Sternere divitias terræ præ munere cœli:  
Diligere alterutrum, quo nos modo diligit Ipse.  
Dogmata, quæ verbis docuit, miracula firmant.

Namque peragratis Judææ finibus, omnes  
Pertransit populos, bene de quocumque merendo.  
Defunctis tribuit vitam, cunctisque salutem.  
Ejus ope ex feretro pusillus morte revixit:  
Lazarus è tumulo surrexit quatriduanus:  
Jussit; et è lecto surgit paralyticus æger,  
Dixit; et extemplo leprâ bis quinque medetur,  
Jussit; et arescit sine fructu marcida ficus,  
Dixit; et in vinum subito convertitur unda.  
Daemonas obssesis persæpe coegit abire.  
Fimbria vestitus sanat solummodo tactu  
Sanguineum fluxum, patitur quem fæmina pridem.  
Permultos homines perpaucâ sustinet esca,  
Et superest escæ (mirandum) copia multa.  
Sedantur venti, tempestatesque residunt,  
Sub pedibusque suis consistunt æquorū undæ.  
Montis in excelsò rutilanti corpore visus  
Discipulis coram divinam sumere formam.

Plura quid attigerim? manifestant satque superque,  
Quæ retuli supra, Christi miracula verum  
His ita patratis, quisnam resistere possit  
Mirificis verbis, sacro quæ protulit ore?  
Quomodo descendens ex alto culmine torrens  
Præcipiti cursu raptim trahit omnia secum;  
Sic Patris æterni Filius dulcedine cunctos

Attrahit, et cuncti dependent ejus ab ore.  
Plurima post Ipsum sequitur quocumque caterva,  
Quam docet, ac nutrit pastu utriusque salutis.

Rumpitur invidia pharisæus mente superbus.  
«Quid faciemus? ait: totus fluit undique ad illum  
Judææ populus, seductus nomine falso.  
Vah! filius fabri, Galileus origine, fiet  
Æterni Filius, missus de vertice cœli?  
Et Moysis leges venerandas, juraque patrum  
Funditus evertet, tentans inducere mores  
Dissimiles nostris, et vitæ imponere normam?  
Dispereat citius seductor, morteque turpi  
«Venturis dabitur sæclis ignobile nomen.

O cæcas hominum mentes, aversaque corda!  
¿Siccine flammifero clauduntur lumina soli,  
Ut neque perspiciant radiantis spicula veri;  
Nec visum teneant, oculis dum sistitur ipsis?  
Quod, pharisæe, nefas commisit Jesus adusque,  
Ut neque credideris verbis, neque facta sequare?  
Est humilis, sapiens, clemens, affabilis, atque  
Legibus auscultans, observantissimus æqui,  
Cæsaribus solvit, qua debet parte, tributum.  
¿Ducitur hoc sceleri? vitium virtute præibit?  
Nulla movet mentis ratio, quem cordis avara  
Excitat ambitio, et vindictæ dira cupidio,

Quò magis extendit Christi miracula fama,  
Hòc magis excruciat pharisæos invida tabes.  
Concilio facto, nil non tentare relinquunt,  
Dummodo justus homo perversus plebe putetur.  
Nunc capere intendunt, quærentes mente dolosa,  
¿Añ sint Cæsaribus tunc vectigalia danda?  
Nunc publicanorum dicunt accumbere mensæ;  
Nuuc etiam Sabathi festo curare dolentes.  
Virtutis specie implacabilis ira latescit.  
Quæritur ad lethum Jesus, comprehendere tendunt;  
Abditur Ipse tamen, quia nondum venerat hora.



---

# MYSTERIA DOLOROSA.

Ingressus J. C. in Jerusalem.—Coena  
legalis, et Eucharistica.—Ablutio  
pedum.

**P**roxima lux aderat, quā missus Patre Redemptor,  
Victima pro populo fieret, summusque Sacerdos.  
Sed prius instituit, celebrandi Paschatis ergō,  
Discipulos secum Solymas adducere: quare  
Bethphage defferri cujusdam mandat asellum,  
Quem superimpositus, penetrans in celsa Sionis  
Mænia, suscipitur solemnis more triumphi.  
Hebraici pueri vestes per strata viarum  
Projiciunt, *Hosanna pium* Davide creato  
Cantantes, ramosque ferunt florentis olivæ,  
Nobilis aut palmæ, victoris simbola Regis.  
Venerat quippe suis exemplar fratribus esse  
Nil, nisi devicto vitiorum germine, posse

Pacis in hoc mundo, nedum pietatis haberi.

¿Credere quis valeat, quem tot clamoribus ante

Excepit populus, per eumdem morte crudeli

Postea damnandum, commisso crimine nullo?

Interea Scribæ meditantur, quomodocumque

Testibus allatis, insontem perdere Jesum.

Fit via muneribus, fas omne abrumpitur, atque

Tansfuga discipulus tradit mercede Magistrum.

Præscius Ipse tamen nihil tentamina pendit:

Quintà quippe die, postquam penetraverat Urbem,

Legalem celebrat cœnam, comitante caterva

Discipulorum ejus, quos inter proditor extat.

Infelix Judas! quænam te possidet aurum

Dira fames? aut quæ cordis duritia tanta?

Nil benefacta movent, æternæ verba salutis;

Sed neque, quæ passim fecit, miracula cernis?

Perfide: nonne vides, dum cœnas, esse Magistrum

Intentis oculis te vultu, ac ore notantem

Auctorem sceleris, scribarum castra secutum?

Heu nimium felix! si numquam limen adisses

Vitæ; namque, dedit qui vitam, morte minaris.

Restat adhuc tempus, resipisce, ac mente revolve

Criminis atrocis Dominum miserescere posse,

Si modo pœniteat, qui fecit, corde fideli.

Clama, ne cesses, veniam deposito supplex,  
Sanguine te redimet, quem nummis vendere tentas.

Demone possesus, bipatentes obstruit aures,  
Nulla movet pietas, silicis præcordia gestat.

Consumptis epulis, et ritibus more peractis,  
Protinus è mensa surgit Salvator, ut esset  
Omnibus exemplar virtutis; namque remotis  
Vestibus externis, præcinxit linctea lumbis;  
Fudit aquam pelvi, atque pedes detergere cœpit  
Ipsius famulis Dominus, Deus, atque Redemptor.  
Non tulit hoc Petrus; confusus mente recusat  
Officium servi Dominum præstare Magistrum.  
«Tu, Deus Omnipotens, inquit, rerumque Creator,  
Qui mare, qui cœlum, qui terras Numine repleas;  
Tu mihi tam misero, tam vili semine nato,  
Ut jaceam minimus, confusus pulvere, vermis;  
Tu mihi:: parce, precor; noli me tangere, nedum  
Squallentes mundare pedes: secede, Magister;  
Sum peccator ego, nec tanto dignus honore,  
Abjice, quæ vestis, despicti insignia servi.  
Agmina ne pudeat cœlestia, plena rubore.  
Auctorem vidisse suum sub imagine turpi.  
«Et dicant gentes: quumquid Deus Israel iste?  
Hæc Petrus: at Dominus summâ gravitate reponit:

«Nulla mihi tecum pars esset postea, Petre:  
Si renuis mundare pedes, mandante Magistro.  
Quod facio, nescis modo, posthac scire licebit;  
Exemplum præbere volo, faciatis ut omnes,  
Sicut Ego feci; manet hæc sententia mente.  
Tum Petrus altonitus submissâ voce profatur:  
«Non modo terge pedes; sed terge manusque, caputque.

Est humilis Petrus; præstat virtute Magister,  
Quantum sol stellas radiis supereminet omnes.

Ablutis pedibus, Jesus consedit ibidem,  
Et panem retinens, benedixit; verbaque sacra  
Protulit, ac panis mutatur corpus in ejus.  
Et pariter calicem benedicens, consecrat Ipse;  
Fit subito vinum sanguis de corpore verus.  
Se manibus gestans, semet cibat, atque cibatur,  
Et bibit, et bibitur, nullo discrimine cunctis  
Se dedit; ingratum quin privet munere Judam.  
Præcipit, ut memores doni mirabilis omnes  
Id quoque procurent faciendum pectore mundo.

En tibi, quæ fuerit Christi suprema voluntas;  
Cum moriturus abit, nullum pretiosius unquam  
Christicolis potuit largiri pignus amoris;  
Qui se dat totum, nihil amplius addere quivit.  
O res digna quidem memorari tempus in omne!

Paschatis expletâ nocturno tempore cœnâ,  
Gratibus Æterno Patri de more solutis;  
Egreditur Solymis, sacrâ comitante catervâ:  
Jam venit illa sui tradendi corporis hora.

**Oratio J. C. in horto.**



Xstat olivarum mons celsus solis ad ortum  
Jerusalem, positus cujus radicibus hortus  
Gethsemani fuerat, Dominus quo sœpe solebat,  
Bethphage procedens, secreto fundere vota.  
Venerat huc Jesus, cum nos caligine terras  
Obruit, atque suos præcepit longius esse  
Discipulos; tantum tres duxit proprius Ipsi,  
Quos vigilare jubet, dum Patrem mortis in hora  
Supplicat; ac animo dejectus, poscit ab eis  
Sustineant secum, angor enim circumdedit illum  
Persimilis letho, cuius tremor occupat artus.  
Indeque secedens parvâ sub rupe seorsim,  
Et genibus flexis, palmasque ad sydera tollens;

O pater Omnipotens, si possit, transeat à me  
Iste Calix, inquit, sin autem vestra voluntas  
Fiat: et exemplo gelidum per viscera frigus  
Currit, et insolito quauntur membra tremore.  
Non aliter trepidat, quam vento mollis arista  
Concita, seu jugulum submittens victima sacris.  
Pallescit vultus, sudor fluit undique rivis:  
Sanguineæ manant ex toto corpore guttæ,  
Exanimemque facit diræ præsentia mortis.  
Bis semel, ac iterum sermonem protulit ipsum;  
Bis semel, ac iterum surdas Pater exhibet aures.

Quæ nova, mi Jesu, te nunc sententia vertit?  
¿Nonne voluntatem missus complere Parentis,  
Victima pro cunctis offerri sponte volebas? insimulatio  
Temnere cum doceas alios pro nomine Christi  
Verbera, carnifices, infamem denique mortem;  
¿Ipsemet horribili trepidas formidine captus?  
Exemplum monitis, verbis contraria facta  
Crediderim certè, ni Tu immutabilis esses.  
Sed mihi jam videor rerum cognoscere causas:  
Sicut homo fragilis naturæ, *transeat*, inquit;  
Sicut Dei filius, nullo cunctamine, *Fiat*.  
Debita peccati persolvens, carnis amictum  
Induit, infirmæ patiens incommoda vitæ.

Spiritus est promptus; languens propensio carnis.

Hinc timor, hinc tremor, hinc est mentis saucia cura:

Dilacerant animam tunc trina negatio Petri,

Proditio Judæ, dispersio discipulorum,

Diruta Jerusalem Romæ vetricibus armis.

Prævidet Ipse, suo calcato sanguine, multos

Affore, qui renuant divini corporis esse;

Permultos etiam, fidei qui lumen adepti,

Cordibus immundis ausint consumere Sanctum.

Ad pœnas animi cruciatus corporis adde.

In mentem veniunt alapæ, ludibria, vepres,

Vincula, crux, clavi, crudelis prævia lethi.

Quôque dolor summum mensuræ repleat, omne

Provenit à notis fratribus, concivibus ejus,

Cum quibus evixit simul, et benefecerat illis.

Deliquium patitur mentis, dum cuncta revolvit,

Cogitur et cœlos iterumque, iterumque precari.

Mittitur æthereis, animum qui roboret, oris

Angelus, et calicem praestò est haurire paratus.

Hæc, meditanda tibi, proponit Christus in horto.

Orat in extremis, submissa mente, seorsim,

Sæpius, et repetens: *Fiat divina voluntas;*

Discipulique sui vigiles extare jubentur.

Utque Redemptoris præclara exempla sequare,

Rebus in adversis animum deponere noli;  
Est Deus adjutor fortis, solumque rogandus,  
Quem penes auxilium; citra spes nulla salutis.  
David, ad interitum quæsusit Saulis arte,  
Effugit insidias, æternum Numen adorans.  
Adgemit in lecto Ezequias; carcere vinctus,  
Impius in superos exorat sæpe Manasses;  
Flectitur amborum precibus clementia cœli.  
Perfusi lacrymis, conspersi pulvere terræ,  
Vindicis amôrunt Ninivitæ Judicis iram.  
Sæpius orando summo de vertice montis,  
Devicit Moyses vario certamine gentes.  
Non quit Eliseus Jordanis sistere cursum,  
Ni tunicâ quatiens iteratis ictibus undam.  
In cœlos penetrat constans oratio justi,  
Si modo conformis divino fiat amori.  
Plus tibi quid liceat, quam tu quid poscere possis,  
Scit Deus; idcirco, *Fiat, dic, vestra voluntas.*  
Insuper oratum secessit Jesus in horto:  
Sic factis docuit, quod verbis fecerat antè.  
Terrenis etenim curis, et teste remoto,  
Advolat in cœlum citius mens conscientia recti.  
Surgebat lecto intempestâ nocte propheta,  
Solus et ipse Deo contriti vulnera cordis

Detegit, abstergit lacrymis, veniamque precatur.  
Denique discipulos vigilantes præcipit esse,  
Occupet incautos ne forsan mortis in hora,  
Insidias Satanas prætendens arte dolosa.

Quot mihi, mi Jesu, præbes exempla salutis!  
Servus enim fieri voluisti, liber ut essem.  
Tu reus, ut solvas, merui quas pendere, pœnas;  
Tristis, ut æternæ potiar dulcedine vitæ.  
Hei mihi! deficio, subeunt cum talia menti  
Munera, quæ potero dignas persolvere grates?  
Quod mihi donasti cor, Jesu, suscipe totum.  
O utinam mundum, sanctumque offerre valerem!  
Santifica, munda, Tu, qui potes, alme Redemptor,  
Pœnitet, eheu! metmet; miserere dolentis,  
Crimina, quæ admisi, tanti sunt causa doloris.  
Parce, precor, vitamque meam, moresque deinde  
In melius referam: manet hoc in mente reposum.  
Cumque dies aderit, quâ morti proximus, auras  
Languescens animus renuat spirare supremas,  
Et sit in extremo collectans mortis agone;  
Ut pius es Dominus, miserum ne desere servum;  
Protege sed contra fallaces dæmonis artes,  
Integra sit mentis ratio, cor criminis expers.  
Tumque Sacramentis justorum more receptis,

Te duce, cœlestes ascendet spiritus arcæ.

Tuque, Dei mater, filium deposito pro me,

Irrita ne fiant, quæ supplex dirigo, vota.

**J. C. comprehensio, Judæ proditio.—  
Petri negatio.**

---



Angelis verbis Salvator corde timorem  
Depellit; revocat vires, quæcumque paratus  
Humani generis causâ tormenta subire.  
Discipulos, placidâ laxantes membra quiete,  
Excitat à somno: *confestim surgite*, dixit:  
Tradere jam properat, qui me venuit dedit auro.  
Vix ea fatus erat, cum personat undique circum  
Horridus armorum strepitus, clamorque virorum.  
Militibus mixtum pergit miserable vulgus,  
Fustibus instructum variis, comprehendere Jesum.  
Ipse præit Judas, Domino qui brachia collo  
Tendit, dixit *ave*, superaddens oscula falsa.  
O cor marmoreum, mens vastra, et transfuga vilis!  
Retia qui dudum tendebas, munere Christi

Unus apostolici factus collega senatus;  
Tu Dominum Cœli, bona de quo tanta tulisti,  
Immemor, ingratus, tam falso prodere es ausus?  
Quo pretio? narrare pudet! sex quinque monetis.  
Pessima mercatu ferè venit bestia pluris.  
Ecquando? cum summa ab eo benefacta recepit,  
Corpore post sumpto, divino sanguine poto,  
Et pedibus lotis, indignus quamlibet esset.  
Quomodo? amicitiae sumens venerabile nomen,  
Et pacem simulans sub proditione dolosa,  
Et quibus ipse suum divendit sponte Magistrum?  
Hostibus indomitis, cupiunt qui jam tribus annis  
Tingere sacrilegas ejusdem sanguine palmas;  
Qui, licet in terram, prolato nomine Jesu,  
Protinus inciderint, exurgunt more leonum,  
Atque manus, collumque ligant contextibus arctis.

It tamen impavidus Salvator fronte serena  
Hostibus in mediis, pugnis, et fustibus ictus.  
Jamque Cedronis erant transgressi littora rivi,  
Insolitis complevit Urbem clamoribus, atque  
Turmatim subeunt Annæ penetralia cuncti,  
Quæritur hic Jesus de consuetudine vitæ,  
Discipulis ejus, doctrina: Non ego, dixit,  
In tenebris docui, publicè sed verba salutis

Emisi populo coram, temploque, foroque.

Vix ea protulerat, colapho cum cœdit Iesum

Pontificis servus: Sic verbis verba reponis?

Si male respondi, tum Jesus: dicio causam;

Sin bene, quapropter colapho me percutis isto?

Ó famuli scelus atrox! Ó patientia Christi!

Tu Domini faciem, superi qua luce beantur,

Sacrilegâ fædas, nequam vernacule, dextra?

An nescis oculi jactu tantummodo Jesum

Tartareae undas subito te immergere posse?

Si Deus ignotus, notus tamen est homo justus,

Indignus, quem tu verbis vel lædere velles.

Nil contra Jesus; non irâ percitus ullâ;

Ast agno similis, tacito qui cœditur ore,

Mansuetus, patiens, constans simul, atque benignus;

Ad Caipham vincetus trahitur, stipante catervâ.

Regia Pontificis fit noctu scæna theatri.

Ludibrium eunctis factus Salvator ibidem,

Est oculis tectus, plenus sputis, et arundine cæsus;

Oprobrium est hominum, vilisque abjectio plebis,

Quomodo prædictus, spiratus Numine, David.

Quodque magis cruciat mentem, repletque dolore,

Illâ nocte, fuit repetita negatio Petri.

*Non hominem novi:* ter dixit firmiter ille;

Ter Domini diro transfigit vulnere pectus.  
¿Ignoras hominem, splendentem culmine Thabor  
Lumine cœlesti, à quo raptus mente, rogabas:  
Nos sumus hic bene, hic tria tabernacula fiant?  
¿Ignoras hominem, quem clarâ voce fateris  
Esse Dei Filiam, sed *Tu Petrus*: Ille reponit,  
Et super hanc petram mea nunc Ecclesia surget?  
¿Ignoras hominem, cui non multo ante locutus,  
Ut fugerent omnes, te solum non fugiturum?  
¿Cum reliquis pariter quare non terga dedisti;  
Quandoquidem Dominus cunctis permisit abire?  
Tuque tuis, amens, confidens viribus, audes,  
Præmonitus Domino, caput objectare periclis?  
Heu miser! excordem te nunc muliercula fecit,  
Terrebant quem nulla prius discrimina vitæ.

Interea resonat galli vox ejus in aures,  
Et subito veniunt in mentem verba Magistri,  
Conscia quæ sceleris, stimulis vexatur acerbis.  
Poenituit, liquitque domum, deflevit amarè,  
Et lacrymis maculam, quo vixit tempore, lavit.

Hæc igitur debes meditari nocte, dieque.  
Si cedri Libani sternuntur flamine molli,  
¿Perferet effrenos aquilonis fistula fatus?  
Heu! ne præsumas propriis discriminis adire

Viribus, (imbellis peccatum fecit easdem)  
Sed Domino fidens, ejus spiramine ductus,  
Omnia, quæ subeant, vel magna, obstacula vinces.  
Quem Petrus renegat, servâ præsente, Magistrum,  
Principibus coram, multis et millibus, ipsum  
Postea constanti, indefessâ voce fatetur;  
Vincula, carnifices, nec verba minantia terrent;  
Et tandem moritur pro Christi nomine latus,  
Cur prius imbellis, mox autem fortior adstat?  
Postea nimirum descendit Spiritus almus,  
Cui validas fudit circum præcordia vires.

**Jesus capit is damnatus; Pilato sistitur, verberibus afficitur.**

---

Venerat ille dies, quo nullus tristior alter  
Nec prius extiterat, nec post numerabitur unquam.  
Dispulerat vixdum tenebras aurora coruscans,  
Concilio facto, Scribæ simul et Pharisæi  
Unanimi sensu Jesum sine jure decrerunt  
Damnamdum capit is; sed cum sententia forte

Irrita Pilati sine jussu Præsidiis esset; Frustratus, aspergi  
Armorum strepitus inter, plebisque tumultum Leo non poterat.  
Devinctus trahitur Salvator Præside coram. Autem eis  
Hic etiam falsis adductis testibus, illum insimulat. Tunc  
Insimulant, Judæ quod tentet sceptra tenere, illusio  
Atque Dei Filius dicatur, nomine ficto; Hæc minima  
Quod plebem doceat contraria dogmata legi, Demissio  
Cæsaribus minimè posthac solvenda tributa; Adest audire  
Denique quod sanctum vellet prostertere templum, Ad aliud  
Et tribus auderet post ædificare diebus. Totius oculorum

Ut Galilæus erat, misit Pilatus ad aulam Quidam  
Agrippæ, Solymis qui tunc ob Pascha manebat. Neque  
Plurima Tethrarches sollerter querit ab eo. His  
Conticuit Jesus; contempsit inania verba; Neque  
Ac veluti demens, tunicâ circumdatus albâ; Igitur  
Rursus ad ejusdem Pilati duicitur aulam. Desiderium  
Hæret in ambiguo sententia Judicis: unde Alius si est  
Quid faciat, fugiatve, timet discrimine tanto. Alius si  
Arguit interius Christi justissima causa; Non tam  
Concitat exterius populi discordia sæva. Gaudium  
Nunc timet offensi romani Cæsaris iram; Ego tam  
Somnia nunc terrent per noctem à conjugé visa. Auge  
Cogitat ille modum, quo Jesum morte crudeli Amorem  
Eripiat, reputans Judæi posse furorem. Natus

Frangere, verberibus dum sit tantummodo tortus.  
Nec mora: lictores adsunt, utcumque parati.  
Vultus erat torvus, cœco distenta furore  
Brachia, nodosis manus est accincta flagellis.  
Est minus horribilis furiarum turba sororum.  
E contra Jesus persistit fronte serena,  
Demissis oculis semper, vultuque modesto.  
Vestibus exuitur, magna spectante caterva,  
Permanet ac nudus, qui vestit cuncta, Creator.  
Totius columen mundi vinxère columnæ,  
Quæque manus miseros exolvit carcere vincos.  
Nexibus implicitis constringunt vincula dira.

His ita dispositis, tortores corde ferino  
Incipiunt alacres flagris discerpere corpus,  
Et lacerant artus, quo possunt robore, cunctos.  
Deficiunt vires; rabies acquirit easdem.  
Altera si cedit, succedit denuo turba  
Altera lictorum, stragem renovare parata.  
Non tantum nubes disrupta ex æthere mittit  
Grandinis, æstivo tonuit cum tempore; quantum  
Flagrorum repetunt ictus in corpore Christi.  
Vulnera ne numeres; locus est in tergore nullus  
Vulneribus tantis; ex cunctis unica plaga.  
E venis saliunt, dissecto tergore, rivi;

Totaque inundatur, perfuso sanguine, terra.  
Quin etiam recidunt carnis, permixta cruento  
Frustula; fit tectum Pilati carnificina.

Interea Jesus gemitus non edidit ullos,  
Flagra neque elusit, tantisper terga declinans;  
Iustitiae causam, nec legum jura reclamat,  
Nec petit auxilium, nullus miserebitur illi;  
Sed tacite patiens, summi decreta Parentis  
Exequitur supplex, ut mortem morte repellat.  
Et moriturus erat, pietas ni ficta decresset,  
Hostibus ut placeat, plus dira morte perire.

Barbara saevities, nusquam spectata locorum!  
A filiis pater, atque a servis vapulat ipse  
Terrarum Dominus; naturae vertitur ordo.  
Debita persolvit mortalia creditor idem,  
Est reus exitii, Judex qui debuit esse.  
Quae tulit ipse suo Salvator verbera tergo,  
Hæc eadem tolerat pro nostris vulnera noxis.  
Sic, quondam cecinit, perfusus lumine, Psaltes:  
*Terga super mea peccatores ædificârunt.*  
Hæc super antiqui gravitat transgressio patris,  
Peccatum Judæ, ac omnis lascivia carnis,  
Et furtum, et cædes, lucrum, blasphemia, cultus  
Præstitus idolis, despecto Numine vero.

Quot sunt, et fuerunt, et erunt peccamina mundi,  
Tot super imposuit dorso Salvator eodem:  
*Cunctorum portavit onus*, testante Propheta.

O miseros homines, ingrato semine natos!  
Cernitis innocuum pro vestris solvere culpis,  
¿Et siccis oculis scænam spectatis acerbam?  
Cor ni adamantæum, ni pectus chalibis instar  
Gesserit; ¿ecquisnam lacrymas cohibere valebit?  
Effluat ex oculis imber; cum corpore Christi  
Sanguinis emanat torrens pro crimine nostro.  
Irradiet nostras Lumen de Lumine mentes,  
Igneque comburat cœlesti pectora dura,  
Ut dolor intensus veri sit germen amoris.  
Quòque magis Jesum, peccando, offendimus omnes;  
Hòc magis, orando cum fletu, semper amemus.

Tuque, Parens Virgo, cujus de ventre Redemptor,  
Quam video, sumpsit, laceratam verbere, carnem;  
Quæ Filium, Patri mactandum, sponte dedisti;  
Inter utrumque tuum, Mediatrix, pone juvamen,  
Abluat ut nostras pretioso sanguine culpas;  
Ac ubi abundavit delictum, prorsus abundet  
Gratia cœlestis, quæ nos perducat in astra.

**AMEN.**

**Jesus spinis coronatus.**



**M**axima res agitur: Proh detestabile crimen!

Cogitur in scenam Jesus prodire theatri.

Rex, regum dominus, rerumque æterna potestas,

Irritus populis; objectum dramatis hujus.

Huc spectator ades, tua refert, Christi fidelis;

Aspice, quæ tulerit te propter Virgine natus.

Innumeris postquam fuerat cruciatibus actus,

Purpureâ tunicâ vestitur regis ad instar;

In manibus fragilis pro sceptro stabat arundo,

Et caput incingit vepribus conserta corona,

Cujus acuminibus cerebrum depungitur, atque

Totus inundatur, perfusus sanguine, vultus.

En vir Isaiæ: vir circumquaque dolorum

Plenus, et egregiæ spoliatus imagine formæ.

Non decor est illi, qualis prius esse solebat.

Prae filiis hominum speciosus; sordidus extat

Prae filiis hominum: nullus dignoscere possit,

Virginis an filius, num servus criminis auctor;  
Absimilem prorsus sibimet fecere dolores.

Interea plebes, irridens, sibila fundit,  
Explodit manibus, caput emovet, exerit ore  
Mordaces linguas, et tollit in astra cachinos.  
Poplite nunc flexo, Regem, illudendo, salutat;  
Nunc caput infami pertingit arundine sacrum;  
Consput in faciem, divinas vellicat aures,  
Et nihil intentum, nihil est omnino relictum;  
Quominus aut animam, vel corpus laederet ejus.

Talia quis vidit cunctis spectacula terris?  
O plebs ingrata, atque insano ducta furore!  
Laudibus in cœlum tollebas usque Magistrum,  
Nunc reprimis, quasi sceleratior omnibus esset?  
Nequicquam Pilatus agit, ne morte in honesta  
Justus homo pereat: quò plus sedare tetendit  
Judæi rabiem, plus sævam concitat iram.  
Ac veluti saliens per rupes tempore verno,  
Præcipiti cursu descendit flumen ab alto  
Culmine, quod teneant objecta repagula nulla;  
Quin potius crescit, viresque acquirit eundo:  
Sic etiam plebes, clamoribus excita magnis,  
Quò magis intendit Judex absolvere Jesum,  
Hoc magis exclamat damnandum morte cruenta;

Et populi rabiem, plusquam lenivit, adauxit.

Unica spes restat: Si forsitan flectitur ira,  
Dum cernunt animam medio in discrimine mortis,  
Vulneribusque suis emanans sanguine corpus.  
Nec mora: perducens atrii in sublimia magni,  
Collocat, à cunctis spectandum gentibus, Illum.

*Ecce homo:* clamavit, quem vos optatis obire:  
Falleris, ô Præses, Judæi occidere Jesum  
Prætendunt avidè cuncti; hic tamen est neque Jesus;  
Sed neque, quæ fertur, Scripturæ teste, figura.  
Consule, cœlesti inspiratos lumine, vates.

Alter, *uti vernans flos in convallibus ortus;*  
Alter, *in humanis nullus formosior,* inquit;  
Magnificis omnes describunt signa figuris.  
Ast quem tu populo sistis, Pilate, videndum,  
Oprobrium est hominum, vilisque abjectio plebis.  
Sanguine sunt oculi madefacti, sanguine vultus,  
Sanguine conspersus summo de vertice ad imum.  
Eja, age: retrahito: non hic, quem dicis, Jesus:  
Proh dolor! Ipse tamen; quamvis tormenta decorem  
Corpore depulerint, nec virtus adsit eidem.  
*Ecce Deus;* pariter debebas dicere, Judex,  
Qui populum Israel oppressore ex hoste redemit,  
Transtulit ac illum siccò pede per mare rubrum,

Indixit leges, escam dedit, agmina duxit,  
Hostibus avulsi, in terram lacte fluentem  
Intulit, indigenas patriâ regione propulsans.  
*Ecce homo*, quem dudum vidistis lumina cœcis,  
Auditum surdis, reddentem cuique salutem.  
*Ecce Redemptorem*, quem prædixere prophetæ,  
Promissum Patribus vestris, precibusque vocatum.  
*Ecce Creatorem*: Sed quid nunc mente revolvo,  
Quæ poterat Judex Judæis verba profari?  
Inscius ille quidem, nec Jesus cognitus illi;  
Attamen insontem quantumvis voce declarat,  
Cum populus clamat: *Crucis in ligno moriatur*;  
Justitiae leges fragilis vecordia rupit,  
Inque Redemptorem mortis sententia fertur.

Talia dum fiunt sceleratâ Præsidis aulâ,  
Contegit ora manu cœlestis turba rubescens.  
Et te non pudeat, tanti cum causa fuisse  
Iudibrii, risus, despectus, atque doloris?  
Heu miser! observa, patientis, vulnera Jesu  
Esse vibrata tuâ, peccantis, spicula dextrâ.  
Tu caput innumeris circumdas sentibus almum,  
Gloria cum mundi te solum dicit inanis,  
Illudis Regem, si flexo poplite coram,  
Interius dictis ejus parere recusas.

Conspuis in faciem, cum fædis cæca libido  
Pellit imaginibus castum de mente pudorem.  
Omnia, quæ patitur, patitur mortalis amore.  
Pæniteat demum dominum offendisse supremum,  
Ut dolor ex animo, domini compenset amorem.

Quæque tua est pietas erga nos, optima mater,  
Virgo Dei Genitrix, servorum suscipe vota,  
Illaque clementer Nato auscultanda procura.  
Per lacrymas ergo, quas, compatiendo, fudisti,  
Cum caput ipsius vidisti, vepribus ictum.  
Oro te et obtestor, nostri miserere, benigna,  
Atque tuum nobis iratum sæpe precare  
Dilectum Filium, quò justam temperet iram,  
Ac in amicitiam nos ejus gratia reddat.

**AMEN.**

**Jesus bajulans crucem.**

---

**T**ertia transibat Judeis hora diei,  
Golgotha cum Christus cœpit contendere versus.  
Viribus exhaustus, præ multo sanguine fuso,  
Jejunus, languens, insomnis, corpore lassus,  
Enormis portare crucis compellitur ingens  
Pondus, uti infamis damnatus furcifer orco.  
En Abrahæ Filius, gestans, ut victima, lignum,  
Quo super ipse fuit per patrem sacrificandus.  
Stat circum conserta manus, vibrantibus armis,  
Turbaque per calles dispersa, et ubique parata  
Lædere vel verbis, vel factis Virgine natum.  
Nuncius it præco, proclamans voce canora,  
Crimina, quæ falsò imposuit plebs perfida Jesu.  
Hæc inter, clamorque virūm, clangorque tubarum  
Personat: horribilis dominatur terror ubique.  
Pectore sed prono, nudo pede, et ore silenti,  
Passibus haud æquis Crucifer pergebat, anhelans,  
Pondere sub tanto curvatus, sæpe labascens;

Et tremefacta cadunt, defesso poplite, membra.  
Tunc risus populi, tunc execrantia verba;  
Pellitur, impetitur pugnis, pedibusque vicissim.  
O cæcas hominum mentes, et ferrea corda!  
Sit sceleratus homo: idcirco vexabitur ultra,  
Quam quod inhumani sententia Jædicis inquit?  
Nulla sed immani restat clementia plebi,  
Cum malesana suam perturbat lingua quietem,  
Insciaque abripitur, furioso tracta tumultu.  
Viribus, ut potuit, revocatis, surgere tentat  
Christus, et insequitur, quod iter restat faciendum.

Est via, quæ dicit transverso tramite ad illam,  
Quâ Dominus pergit, magnâ sub mole gravatus.  
Hâc igitur tendens, summo confecta dolore,  
Obvia fit mater: *Verbis quis promere possit,*  
*Qui fuerint animi sensus natique matrisque?*  
Vox utriusque suis confessim faucibus hæsit,  
Indicium præbent patientis lumina cordis.  
Mox ubi compressus mentis dolor ore silenti,  
Perfuso lacrimis vultu, sic Virgo profatur:  
«O decus æternum, mea lux, dulcissime nate:  
»Cur te adeo informem exiguo tam tempore cerno?  
»Confixum spinis! constricto fune ligatum!  
»Squallentem barbam! concretos sanguine crines!

» Atque crucis pondus scapulis immane gerentem!  
» Hei mihi! quo possum modo te distinguere ab illo,  
» Maxima totius qui admisit crimina mundi?...

Ille sed infirmo rumpens è pectore vocem:  
« Heu fuge, mater, ait, teque his defende periclis,  
» Victima ne duplex mactetur tempore eodem.  
» Sydera nunc cœli tempestas obruit atra,  
» Clara dies aderit, quâ Sol et Luna patebunt,  
» Et matrem et genitum splendor circumdabit idem.  
» Me decet æterni decreta explere Parentis,  
» Nunc moriturus eo pro humanæ gentis amore...

Tum Genitrix: humanus amor te cogit obire?  
« Me tuus, ac hominum; pariter moriamur uterque,  
» I, sequare; et tecum calicem potabo doloris,  
» Tecum figar ego, tecum quæcumque subibo.  
Dixerat, atque sui sequitur vestigia nati.

Urbis ad egressum muliebris turba manebat,  
Quæ lacrymas fundens, Jesu miserescitur ultiro,  
Et quibus alloquitur venturi præscius ævi:  
« Jerusalem filiæ, ne me super edite fletus,  
» Vos super, et filios potius plorate futuros.  
» Tempus enim veniet, quando, fera bella videntes,  
» Mutuo dicatis, lumen vitamque pèrosæ:  
» Elidant utinam caput hoc sub vertice colles,

»Et, quæ non pariunt, felices esse putetis.

Jamque peregrinum tentans descendere clivum,  
In terram cecidit, nec prorsus tendere quiuit.  
Rure domum veniens, Simon, Cyrene profectus,  
Occurrit turbæ: statim conducitur, atque  
Cum Domino pariter lignum portare jubetur,  
Summa donec fessi venerunt culmina montis,  
Non pietatis opus; sed mentis prava voluntas.  
Hæc erat, et Jesum patiendo, ducere vitam,  
Quam, moriendo, modum tormentis ponere malunt,  
Morteque servorum Dominum damnare supremum.

Talia perpessus, dum pergit Christus in altum  
Suplicii montem, nobis exempla relinquens,  
Si volumus summum virtutis culmen adire,  
Per sua nos etiam vestigia tendere gressum.  
Discipulis dixit: qui post me exoptat abire,  
Ipse crucem tollat, sub eisdem passibus hærens.  
Perlege, quod docuit verbis, factisque Magister.  
Tolle crucem Domini, Domini qui jura recusas,  
Atque Creatori præfers quocumque creatum.  
Indulges genio, traherisque cupidine sensus.  
Tolle crucem Domini, qui per discrimina mundi  
Ardua procuras montis superare Sionis.  
Nulla datur merces, ni summo parta labore,

Qui stat, ne cadat; ut surgat quantocuyus ille,  
Qui cecidit: cunctis onus hoc portare licebit.

Propositum firma, Virgo sanctissima, nostrum  
Et deprecare tuum, praeut est clementia, natum.  
Ut, quos ille tulit, lignum gestando, labores,  
Nos quoque propter eum faciat perferre libenter.  
Sic Deus aeternæ concedat praemia vitæ.

**AMEN.**

**Jesus Crucifixus.**

**J**am superimpositus nodoso stipite Christus  
Hæret, et incipiunt tortores carnificinam.  
Brachia distendunt, manibus pedibusque trabali  
Trajectis clavo, crucis arbor rursus in altum  
Tollitur, et præceps immenso pondere tracta,  
Decidit in fossam; rumpuntur denuo venæ,  
Vulnera vulneribus crescunt, dolor atque dolore.  
Nulla datur requies, locus est in corpore nullus  
Expers martyrii, dolor omnes afficit artus.

Pendulus in ligno perstat ter circiter horas,  
Victima et Antistes, medius simul inter utrosque  
Ac Patrem, ac homines, terram simul inter et astra.

Interea Patrem mortis pro auctoribus orat;  
Concedit veniam latroni, æternaque regna;  
Discipulo matrem; matri commendat eumdem;  
Conqueritur Patri, quod sit desertus ab illo:  
Indicat ardorem, *Sitio* cum dixit, anhelum,  
Ut genus humanum redimatur sanguine fuso:  
Omnia complentur veterum præsagia vatum.  
Lex antiqua ruit, cessant libamina cuncta,  
Victima pro cunctis dumtaxat sufficit una.  
*Hoc opus Excelsi perfectum*, denique dixit.  
Jamque super vultum mortis circumvolat umbra,  
Lumina clauduntur; turgescit pectus anhelans,  
Livida vertuntur labra, osque patescit hiulcum,  
Frigidus et sudor pallentes occupat artus;  
Cum trahit insolito vocem cum robore, clamans;  
*Hanc animam commendo tibi, Pater, accipe clemens.*  
Solis ad occasum faciem tunc valde declinans,  
Occubuit subito, ac optatâ pace quievit.

Illico sub pedibus tellus concussa fatiscens,  
Evocat ad superos jampridem morte sepultos,  
Sol et luna suos, summum testata dolorem,

Occultant radios; terras nox contegit alia,  
Cunctaque tristantur supremo in funere Christi.

Solus homo infelix, adamanti durior ipso,  
Nec Dominum novit, nec detestabile crimen;  
Sed potius diris miset convicia factis,  
Ausus et insolitis sanctum temerare cadaver,  
Atque latus mucrone suo transfigere dextrum.  
Quid facis, o miles? quem contra dirigis hastam?  
Est leo; sed stratus; bellorum dux; sed inermis:  
Omnipotens Dominus; sed servi morte peremptus.  
*Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,*  
Hosteque devicto, vicit quoque projicit arma.  
*In filium certe directi spicula; verum*  
Cuspide conversa, contorquent viscera matris.

Infelix mater! magna est contritio cordis.  
Dicere quis valeat, nedum comprehendere mente,  
Quot mala pertulerit, dum stabat proxima nato?  
Stabat, ut rupes, undis quassata marinis,  
Quam super adveniunt sinuosi vorticis ictus;  
Ast immota manet, mediis vel fluctibus haerens.  
Stabat, ut Antistes, crucis arâ pignus amoris  
Sacrificans Patri, cui se simul ipsa dicabat.  
Stabat, uti mater, summo consumpta dolore,  
Attollens oculos, et cernens corpus inane;

Ó mihi, dicebat, vitâ dilectior ipsâ!  
¿Quæ manus immeritum laceravit barbara corpus?  
¿Quodve genus sceleris patrasti, ut tanta subires  
Pœnarum genera, ac infami morte perires?  
¿Num quia cœlesti plenus virtute dedisti  
Auditum surdis, mutis os, lumina cœcis?  
¿Num quia, sub tenebris viventi, luce præisti,  
Monstrasti que fert ad regna salutis?  
¿Siccine pro meritis redduntur præmia tantis?  
Perfida Jerusalem! quantum dissentis ab ipsa  
Bethlemiticâ villâ, quâ vitæ limen adivit!  
Natus ibi filius dulci modulamine cantus;  
Hic moritur verô probris satur et maledictis.  
Obtulerant inibi, venerantes, munera reges;  
Hic crucis horrendæ trûncum, tormentaque dira.  
Nunc venit in mentem memorandæ Nazareth urbis.  
Inde fuit nostræ olim majestatis origo;  
Indeque procedit nunc nostri angustia cordis.  
¿Quô tua, cœlestis, cesserunt, Angele, verba?  
*Es benedicta, mihi dixisti, ex omnibus una.*  
Præ cunctis miseram me certe nunc reputares.  
*Est Dominus tecum.* Verum! sed triste cadaver!  
Stipite confixum, summâque ex arbore pendens.  
Ó Crux sublimis! paulisper brachia flecte,

Et caput inclinans, botrum mihi redditio Cypri.<sup>idim</sup> O  
Redde, quod est proprium, quod pleno jure reposco.<sup>O</sup>  
Dà mihi, quem genui puro de sanguine, natum.<sup>bon</sup> O  
Óh! tantum liceat dare circum brachia collo,<sup>miseria</sup> I  
Oscula libare, et corpus mandare sepulcro!<sup>imp. mū</sup>

Interea occiduas jam sol invaserat oras,<sup>ne molida</sup> A  
Umbraque calvarum montis fastigia celat.<sup>imp. mū</sup>  
Quid demum faciet? corpus descendere nullus  
E sociis poterat, manet alto stipite pendens.<sup>q. sinuosa</sup>  
Est animo fixum quam longam ducere noctem,<sup>abitus</sup>  
Respha velut fecit, filiorum corpora servans.<sup>insolidus</sup>  
Et Patrem lacrymis summum, precibusque fatigat,<sup>rebet</sup>  
Mittere dignetur, sacrum sepelire cadaver.<sup>utrumq. ill</sup>  
Ecce duo veniunt homines, qui stipite tetricum  
Descendunt corpus, convolvunt sindone munda,<sup>rebus ill</sup>  
Et myrra condita, novo dant membra sepulchro.<sup>amī</sup>

Sicque salutis opus perfecit morte Redemptor.<sup>sbal</sup>  
In cruce suspensus culpæ chirographa rupit;<sup>superbal</sup>  
Vincula perfregit, queis nos constrinxerat hostis,<sup>Q</sup>  
Omnia criminibus persolvit debita nostris,<sup>abuso</sup> A  
Æternoque Patri peccantes conciliavit:<sup>in cibis vixit</sup>  
Denique victor adest, quia mortem morte peremit.<sup>V</sup>  
Ó magnum pietatis opus! mors mortua tunc est,<sup>rigit</sup>  
Quando vita fuit crudeli mortua ligno.<sup>Q Cruz zur</sup>

Inspice, Christicola, atque intentâ mente reflecte:  
Si innumerâs animas pro Christo reddere posses,  
Ne satis ex æquo fieri pro munere crede.  
Attamen Ipse suos pro magnis parva reposcit.  
Sacrificare jubet solùm tentamina carnis,  
Illicitos animi motus, corpusque rebelle.  
Qui fieri possit? docuit nos ipse Magister,  
Ardua dum superat per tot discrimina montis.  
Est via difficultis; sed Christus allevat illam,  
Auxilium præbens, qui se pro parte virili  
Ejus in obsequium præstat, compulsus amore.  
Gratia cœlestis quæcumque obstacula vincit;  
Tum leve fit legis verbum, tum sarcina dulcis.

Tu quoque favebis, Mater carissima nostra;  
(Hoc moriens Jesus legavit pignus amoris;) Et miseros filios, lacrymarum valle gementes,  
Auxilio defende tuo, natumque precare,  
Ut noxis mundos paradisi ducat ad arces.

**AMEN.**

# MYSTERIA GLORIOSA.

Jesu-Christi descensus ad Inferos;  
et Resurrectio.

**H**nterea veteris Patriarchæ legis, in imis  
Caceribus clausi, voces ad sydera tollunt:  
¿Equando, Deus, emittes ex urbe Sionis  
Promissum nobis Messiam, ut vincula solvat?  
Ecce recluduntur, divulso cardine, limbi  
Horrisonæ portæ; resplendet lumine Christi  
Descendens anima; et justorum turba patescit.  
Hic erat Abrâmus, Jobus, patriarcha Noemus,  
Issac, et filius, radix, tribuumque creator,  
Atque Joannes, ejus adhuc novus incola terræ;  
Quotque fidem Christi venturi, spemque tenentes,  
Innocuam degerunt mundi ab origine vitam.  
Quos inter medius residet Rex, atque propheta.

Ó psaltes pius, et venturi præscius ævi:  
Ne cane jam: *Cervus veluti desiderat undas;* (1)  
Sed; *Benedixisti, quam terram semper amasti,* (2)  
*Duraque captivi rupisti vincula Jacob.* (3)  
Ecce Redemptorem, de quo es multo ante locutus:  
*Carcere deducet magno cum robore vinctos.* (4)  
Ecce Triumphator, quem vates nunciat alter:  
*Mors Ego mortis ero; morsus tuus, infima tellus.* (4)

Circunstat Dominum justorum turba fidelis,  
Pronaque supremum reverenter Numen adorat.  
Sis benedictus, ait, mundi Sator, atque Redemptor,  
Qui populum Israel eripuisti ex ore luporum;  
Lætitiamque suam lacrymis testantur obortis,  
Ore salutantes, quem votis ante vocârunt.

Ast portæ vigiles, magno terrore repleti,  
Quis, subito dicunt, erit is tam fortis, et audax,  
Qui loca, viventi präclusa, invadere tentat?  
Si Deus est Cœli quare loca visitat ima?  
Sin homo; cur vivens animarum limen adivit?

---

(1) Ps. 41.

(2) Ps. 84.

(3) Ps. 67, v. 7.

(4) Oseas, cap. 13.

Non venit, ut reus; ast ut Judex, criminis expers.  
Non victus; sed victor adest, mortisque triumphans.  
Est Deus, ipse Deus, genibus cui flectitur omne.  
Talia jactabant, dum limbi limina Christus.  
Claudit in æternum, et sancta comitante caterva  
Justorum, superas concendit rursus in auras.

Vix denas quater horas corpus inane manebat  
In tumulo lacerum, permulto sanguine tetur;  
Cum penetrans anima obturati claustra sepulchri,  
Vivificat corpus; reddit præclarus astris,  
Exit et è tumulo, lapidem quin separat ejus.  
Exit, ut exivit quondam de ventre parentis,  
Claustra pudicitiae intemerata relinquens.  
Exit, uti Jonas, quem bestia devorat ingens.  
Illæsus penitus remanens tribus usque diebus.  
Exit, uti Daniel, projectus ad ora Ieonus,  
Postea qui rabiem convertunt ejus in hostes.  
Exit, uti Sanson, perfractis vectibus urbis,  
Quâ fuerat clausus, vigilum conamina ludens.  
Exit, uti Joseph, de obscuro carcere ductus  
Culmen ad imperii, ut salvet Memphitica regna.  
Fratribus atque suis possit præstare levamen.  
Exit ovans, et summa tremunt fastigia montis,  
Territus est custos, fulgenti lumine cæcus.

Et lapidem volvens, super extat nuncius ales,  
Discipulis dicens Jesum de morte sublatum.

Eja age, nunc tumulum signa, Pilate, sigillos  
Designa vigiles, pretio corrumpito cives,  
Et testes adhibe falsos, somnoque sepultos.  
Summa Dei virtus confundit dæmonis artes,  
Claraque lux veri tenebrarum dissipat umbras.  
Tempus adest, quo vilis homo, damnatus iniquè,  
Omnibus in terris, ut justus, sit reputatus,  
Et crux infamis famâ celebretur in orbe.  
Tu super impositam cernes capitolia primum,  
Indeque tolletur, quod nunquam fama subivit  
Romani imperii, nedum victoria castra.  
Ipsa decorabit posthac diademata regum;  
Labara substituent Aquilarum nomen in armis,  
Et venerabuntur, quæ existunt solis ab ortu  
Solis ad occasum, nullo discrimine gentes.

Prodigium magnum! quod jam prædixerat ante  
Ipse Deus nobis Micheæ ex ore prophetæ:  
*Gens inimica mihi, ne extollas, læta triumpho;* (1)  
*Si cecidi, surgam, postquam consedero in umbris.*

Surrexit Dominus verè, mortique trophea

---

(1) Cap. 7.

Arripuit moriens, inimicum morte subegit,  
Infernū clausit, reseravit limina cœli.  
Sub pedibusque suis cacodæmon vincula mordet.  
Personet undelibet vox clamans: *Io Triumphe.*  
Hæc est illa dies, Dominus quam fecit: in illa  
Lætitiâ cuncti exultemus Christifideles:  
Quomodo nam fiet? Te lætis dando choreis,  
Seu mensæ dapibus, seu circi drama videndo?  
Altera lætitiæ causa est tibi corde petenda,  
Respice sin aliter divini exempla Magistri.  
*Devicit mortem, surrexit lumine splendens,*  
*Postea mors illi nunquam dominabitur ultra.*

Tu quoque peccati mortem superabis acerbam,  
Tergendo lacrymis, et sensus mortificando.  
Ut novus alter homo, splendenti luce resurges;  
Si modo cœlestis perfundat gratia mentem,  
Dissipet ac virtus prius actæ scandala vitæ.  
Denique non recidas in culpam, ne moriare.  
Vulnerat ut corpus gladius, sic crimina mentem.  
Vive Deo solum, mundi valedicito pompis.  
Hinc ea, quæ satiant omnia, gaudia, mentem.  
Hinc ea pax animi, qua nil pretiosius unquam.  
— Virgo, Dei mater, mater quoque Christicolarum;  
Quas hodie dignas potero persolvere grates? (1)

Tu decus es populi, tu magnificentia nostri,  
Lætitia Israel, ac humanæ causa salutis.  
Namque per eximum, quo nos dignaris, amorem,  
Unigenam tradis, quo nil tibi carius unquam.  
Sis benedicta, parens, iterumque, iterumque beata.  
Utque resurrexit filius, nunquam moriturus;  
Sic fac, ut, à nostris surgentes nos quoque culpis,  
Non eadem rursus repetamus crimina; sed Tu  
Protege, confirma, filiorum vota secunda,  
Ut sine fine frui mereamur lumine Christi.

**AMEN.**

**J. C. in Cœlos ascensus.**



mnia complerat summi mandata parentis  
Divinum verbum, vestitum carnis amictu.  
Gentibus est visus verus Deus, ac homo verus,  
Dum mortis subit imperium, mortemque peremisit,  
Edocet Ille suos, fuerant quæcumque docenda,  
Discipulos, referens æterni præmia regni:

Ecclesiam statuit, Petro sub Præside, sanctam,  
Atque peregit opus per patrem missus in orbem.

Restat, ut in cœlos iterum concendat; id ipsum  
Discipulis dixit: «*Cur nos, divine Magister,*  
» *Deseris?* ajebant, magno mærore repleti.  
» *Quid faciet proprio pecus à pastore relictum?*  
» *In vadet, grege disperso, lupus ore cruento,*  
» *Ipse vorabit oves, vestro sudore redemptas.*  
» *Vivit adhuc sævâ Pilatus percitus irâ,*  
» *Dum vulgò spargit vestrum nos corpus habere;*  
» *Vivit et Herodes, patris non immemor iræ,*  
» *Et pharisæus adest, nomen pertæsus Iesu.*  
» *Discipulos contra convertent arma, Magistro*  
» *Longius absenti: Quis nos defendet ab illis,*  
» *Suggeret aut mentem, sistentibus ante tribunal?*  
» *Quam sumus invalidi! Tu scis, divine Redemptor,*  
» *Cum magno dedimus, perculti, terga, timore.*  
» *Ne linquas eheu! miseram sine duce catervam.*  
» *Tu lux es mundi; nostræ spes unica vitæ.*

Tum Jesus: deponite tantum ex corde timorem;  
«*Jam Paracletum mittam, qui vos cuncta docebit.*  
» *Ipse reproducet circum præcordia robur;*  
» *Principibus coram facietis verba repente,*  
» *Nullus quæsis possit sapientum dicere contra.*

»Ut mea per totum portetis dogmata mundum,  
»Vos ego delegi: favebit Spiritus almus,  
»Misero quem vobis: hæc inter in urbe manete.

Interea clivum superantes, celsa tenebant  
Montis olivarum; locus hic est meta laborum.  
Tunc benedixit eis; sculpsit vestigia saxo,  
Quo super est positus; sursum, mirabile visu!  
Tollitur, obtutu fixo gens sacra Magistrum  
Suspicit, æthereas ineuntem protinus auras,  
Et palmas, et corda levat, suspiria ducens.  
Lucida tum nubes ejusdem latera cingens,  
Abstulit ex oculis, nec postea visus ab illis.  
Angelus apparens, Quid statis nunc, Galilæi,  
Inquit, in excelsum tollentes lumina cœlum?  
Jesus hic à vobis conspectus scandere cœlum,  
Sic veniet, quando sub finem judicet orbem.  
Cætus apostolicus casus novitate stupescens,  
Jerusalem rediit, miscendo gaudia fletu.

Te decet interea meditari, Christifidelis,  
Quam magnum ex istis possis depromere fructum.  
More triumphantis si ascendit Christus in altum;  
Non tamen idcirco est humanæ sortis oblitus.  
Nam Mediator adest ad dextram Patris ibidem,  
Temperet ut precibus supremi vindicis iram.

Scandit, ut in cœlis æterna sedilia justis  
Præparet, ut membris, quorum caput ipse fuisset.  
Scandit, iter signans, quod nobis est adeundum;  
*Qui simul hic patitur, simul illic gloriſicatur.*

Sterne viam lacrymis, cœli qui tendis in arces,  
Ardua res certè; verumtamen aggredienda,  
Est via quandoquidem virtuti impervia nulla.  
Adjuvat, exemplum qui præbuit, ipse Redemptor:  
Adjuvat ipsius mater, charissima nobis.  
Hæc feret auxilium, quo nos dilexit amore,  
Atque repellendo, quæ sunt, obstacula; planas  
Efficiet quascumque vias ad regna polorum.

**AMEN.**

**Spiritus Sancti Adventus.**

**J**am decies terras circum sol volverat orbes,  
Cum Dominus cœlos penetrârat, morte triumphans.  
Discipuli Solymis alti penetralia tecli  
Marentes habitant; volis precibusque rogabant,

Cœlitus ut veniat promissus Spiritus almus.

Fit strepitus subito; validi vis concita venti  
Concutit, impulsans magno cum murmure tectum;  
Resplendet totum cœlesti luce cubile,  
Atque super caput ipsorum perlucida flamma  
Apparet similis linguae, quæ lucet, et ardet,  
Et vires animo, et robur pectoribus addit.

Nil opus est dicto, quām dispar esset in illis  
Conditio vitæ; radians lux dissipat omnes  
Errorum tenebras, cœli mysteria pandens,  
Ulpote quæ totum fuerat spargenda per orbem.  
Quidquid inest cordi terrenum, concremat ignis  
Æthereus; nullis turbatur conscientia recti  
Mens animæ rebus; doni septemplicis Author  
Reprimit illicitos, et sanctos dirigit actus.  
Pro nihilo reputant, quos mundus præbet, honores.  
Divitias temnunt, blanditus carnis abhorrent,  
Nil nisi de superis ipsorum pectus anhelat.  
Insuper inspirat divinum Flamen in omnes  
Invictos animos, et ineluctabile robur,  
Spernere quo valeant minitantia verba tyranni,  
Vincula, carnifices; ac ipsam denique mortem  
Intrepida perferre manu, vultuque sereno.  
Sit Petrus exemplo multis pro millibus unus.

Quām sibi dissimilis! quam forti pectore, et ore!  
Ignarus, veteris quae sit sententia legis;  
Attamen invictis rationibus esse probabat,  
Qui crucifixus erat, promissum patribus olim,  
Ad textum referens Davidis verba prophetæ.  
Impavidus perstat, populum dum corripit, ejus  
Persidiam memorans, et inexcusabile crimen,  
Cum dederit letho, cui vitæ debitor esset,  
Atque recusarit, qui tot miracula fecit.  
Prodigiosus adest, cum Parthus, Medus, et Indus,  
Græcus, Arabs, Perses, Romanus, Creticus, Afer,  
Quisque suâ Petrum linguâ videre loquentem.  
Irrident aliqui, musto madere putantes;  
Attamen explanans sapienter verba Joelis,  
Comprobat è cœlo missum spirabile Flamen,  
Numine quod replet; non musto, pectora pura.  
Millia ter subito Christi magnalia credunt,  
Atque renascuntur sacri baptismatis undis.  
Istene Petrus erit, qui paucis ante diebus  
Ter Dominum, noctu gallo cantante, negavit?  
Ille quidem Petrus; sed tactus lumine cœli,  
Et renovatus homo divini flaminis igne.  
Proh Deus Omnipotens! Unde hæc mutatio tanta?  
Hoc opus excelsæ vestræ est tantummodo dextræ.

Nos quoque participes, fac, simus muneris hujus.  
Protinus emittas Paracletum vertice cœli,  
Igne salutiferi replete qui pectus amoris.  
Huc ades, Ignipotens, cordis succende medullas,  
Luceque clarifica, pulsâ caligine, mentes.  
Tu lux, dux, animæ requies, æterna voluptas,  
Dulce refrigerium, mæstæ solatia vitæ.  
Te sine pectoribus fugiunt bona gaudia nostris;  
Serpit humi dejectus homo, cænoque volutat.  
Per Te dissidia, et lites, et bella quiescunt,  
Et justis regitur terrarum legibus orbis.  
Ex te, quod sanctum, quod rectum est, profluit omne,  
Ut qui justitiæ es fons, et bonitatis origo,  
Huc igitur nobis, jam Sanctificator, adesto,  
Quæque creavisti, divino Numine reple  
Pectora, comburens igni cælestis amoris.  
Adsis, Virgo parens, et natum sæpe precare,  
De sedibus superis emittat Flamen amoris,  
Ejus ut æternam concedat gratia vitam.

**AMEN.**

## Assumptio Mariæ in Cœlum.

Sola diu, mæstoque trahiens suspiria corde,  
Virgo Dei genitrix vitam ducebat amaram.  
Est amor illius vehementis causa doloris,  
Omnis amans patitur, si non potiatur amato;  
Et magis atque magis dolor ipso crescit amore.  
Viderat ipsa suum scandentem sydera natum,  
Et clausam monstrasse viam mortalibus ægris.  
Viderat è sacro multos post esse secutos  
Collegio Dominum; moribundo corpore quando  
Vivit adhuc eadem, velut arcto carcere vincita.  
Noctes atque dies renovat suspiria, dicens;  
Ecquando, mi Jesu, ecquando vincula rumpes,  
Pervolet ut citius superas hic spiritus auras?  
Ecquando satiabor ego de flumine vivo,  
Quod fluit æterni paradisi fonte perenni?  
Ecquando, complectar eum, quem lacte nutriti?  
Ecquando, mi Jesu, ecquando!:: lānguida fatur;

Cingite me malis, circumdate tempora sertis,  
Languet enim, sacro perculsum pectus amore.  
Nil mihi terrenum, nil est mihi dulce sub astris,  
In superis habitat, quem jam mea vota reposcunt,  
Quotidie morior; moriar semel, atque videbo,  
Et simul amplectar, quem toto diligo corde.

Tum Jesus teneræ auscultans suspiria matris;  
Surge, columba mea, intractabile tempus abivit,  
Jamque novis iterum decorantur floribus arva.  
De Libano venias, de excelso vertice Sannir;  
Jam propera, nitidis cingèris fronte coronis.

Nec mora: vicinum præsensit Virgo beata  
Mortis adesse diem: nulla est in pectore cura.  
Quì timeat mortem, mortem quæ sæpe cupivit?  
Hinc fuge, tentator, nequicquam retia tendis,  
Hæc, caput ipsa tuum quæ elisit, fæmina, quondam.  
Non color exanguis, non est in corpore motus;  
Sed flori similis, qui gratum fundit odorem,  
Corporeque apposito, tranquilla pace quiescit.  
Non mors virgineos, sed somnus, præpedit artus.  
Cætus apostolicus, si patrum creditur ulli,  
Undique convénit: sanctum ac venerabile corpus,  
Humectans lacrymis, monumento condit in horto.

Ille dies aderat, quo se lætissima cœlo

Inferret, visura suo de sanguine natum.  
Eripitur tumulo, quò talem liquit odorem,  
Qualis in umbroso Jordanis littore manat,  
Cum Jericho florens rosa gratum exhalat odorem.  
Permeat æthereas, cunctis mirantibus, auras,  
Cælicolûm subiecta manu, circumdata nube  
Purpurea, radios quæ solis vespere flectit.  
Non adeo rutilans aurora exurgit ab ortu,  
Nubila cum cœlo pulsantur nocte serena;  
Ut suus effulget radianti lumine vultus.  
Cæsariem dederat liquidis diffundere ventis,  
Et vestis fluitans, stellarum luce coruscans,  
Agricolis monstrat, quo tramite tendat in astra.  
Obstupefacti visu, quænam hæc femina, dicunt,  
Quæ super ascendit redolens, ut virgula fumi?  
Assyriæ nardus, neque thus süave Sabæi  
Æquiparant illum, quem post se linquit, odorem.  
Quam rutilans facie! quam præstans corpore toto!  
Aureus et solis, lunæque argenteus ipse  
Est color immundus; sordent præ Virgine cuncta.  
Palma Cades, Libani Cedrus, Cypressns et alta  
Sunt humiles plantæ; illa caput super extulit omnes.  
Pulchrior Esthere, et Judithâ fortior ipsâ,  
Terribilis, veluti legio est in bella parata.

Tota decora manes, pura, immaculata, venusta,

*Nec primam similem visa es, nec habere sequentem.*

Quam te dicemus fore, ò pulcherrima Virgo!

Femina mortalis? nequaquam: Tu dea pene.

Ni Deus à nobis venerandus trinus et unus,

Prima colenda quidem nostris altaribus esses.

Talia ruricolæ loquerentur: longius autem

Ascendens Virgo, se oculis substraxit eorum.

Obvius occurrit cœlestis cœtus, eunti,

Et circum resonat per cœli concava cantus,

Sæpius ingeminans nomen perdulce Mariæ.

Interea bifores panduntur limina; victrix

Intrat ovans Virgo, reboant cœlestia plausu.

Felices animas! talis quibus obtigit esse

Exitus è vita; justorum morte beantur.

Da mihi, sancta parens, ut Jesus mortis in hora

Corde meo fixus, nunquam discedat ab ore,

Spiritus iste donec vitales hauserit auras.

Da mihi mente pia sacratum sumere corpus,

Verbaque, quotidie nostro quæ fundimus ore,

Irrita ne fuerint, fac, prosint, *Sancta Maria.*

Adsis, Virgo potens, in toto tempore vitæ;

Vita quidem sancta est sanctæ prænuncia mortis.

Ægide tum vestrâ defensi ex hoste maligno,  
In superas omnes lætantes ibimus oras.

**AMEN.**

**Virginis coronatio.**



Assidet ad dextram filii jam virgo locata,  
Qui optatos dedit amplexus, et oscula fixit  
Dulcia, confirmans æternum matris amorem.  
Et Pater omnipotens filiam quoque collocat ipsam  
Sublimi solio, gemmis auroque corusco.  
Ipse suis manibus cingit diademate frontem,  
Bis senis distincto stellis luce vibranti.  
Sub pedibus lunam posuit, circum autem solis amictum.  
Inde salutatum veniunt ex ordine cuncti  
Cœlitum turmæ, venerantes, poplite flexo.  
Jesseidam virgam, regali semine natam,  
Procidui celebrant patriarchæ, ac ore salutant.  
Circumstant omnes, qui sunt ventura locuti,  
Quamque sub obscura viderunt nube latentem,  
Tunc facie ad faciem venerantur, nube remota.

Lilia virgineus perfert fragrantia cætus,  
Sertaque odoriferis halantia floribus offert.  
Martyrium passi, conspersas sanguine lauros,  
Quem dederant olim pro Christi nomine læti.  
Et chorus angelicus, cantando dulciter hymnos,  
Reginam proclamat eam terræque, polique.

Nos quoque terrigenæ, lacrymarum valle gementes,  
Participes festi, celebramus gaudia plausu,  
Atque salutamus bis terque quaterque beatam,  
Quam Deus omnipotens effecit cunctipotentem.  
Nos quoque largimur, præut est cujusque potestas,  
Munera, divinos tribuentes laudis honores.  
Mille patent sacrata diu delubra Mariæ,  
Mille calent aræ, fumantes thure sabæo,  
Milleque concordi resonant modulamine cantus.  
Magnificis splendent ubicumque altaria donis,  
Quæ dives, et pauper referunt sæpissime in aras.

Te, simul ac infans dissolvit vincula linguæ,  
Lætitia exultans, balbo pronunciat ore.  
Te, veniente die, te, decedente, salutat  
Seu castris miles, seu terræ cultor in agris,  
Et pater ipse suis recitat mysteria natis,  
Quot mala pertuleris, devotâ mente recordans.  
Sed neque mirandum, generi cum tot benefacta

Gesseris humano, nunquam de mente abolenda.  
Tu caput antiqui trivistī sola colubri,  
Dum parat ipse tuo fraudem prætendere talo.  
Quamque viam genitrix occlusit criminē prima,  
Tu, superans obices, magna virtute recludis.  
Hæreticus petulans, Albi de gente creatus,  
Te propter tenebras errorum corde removit;  
Namque Pater patrum, Guzmani regia proles,  
Rosarii precibus mentes convertit eorum,  
Auxilioque tuo adversantia castra repressit.  
Ac ubi Turca ferox ejus victricibus armis  
Subdere constituit totum sub legibus orbem;  
Tu quoque, Christicolis manifesto lumine visa,  
Fudisti validas circum præcordia vires,  
Hosteque devicto, toto pax floruit orbe.  
Nunc testis Lepantus erit, Rhodus insula testis.  
Denique conceptam primi sine labē parentis  
Prædicat ex Cathedrā Petri successor in urbe.  
¿Quis fidei cultor, Romæ vexilla secutus,  
Festivum celebrare diem desivit in orbe?  
¿Quot plausus, quot vota ferunt ad astra clientes  
Virginis, unisonā cantantes carmina voce?  
¿Quanta sub ejusdem fundantur nomine templā?  
¿Quot cætus sociorum, quot monumenta in honorem,

Quæ immaculata fuit, simul ac existere cœpit?

  Sed quid commemorem, profert quæ nuncia fama  
Omnibus in terris, pontus quas alluit undis,  
Quæque tuis hærent templis depicta tabellis?  
Nil opus est verbis, cum factis res patefiunt.

  Restat, ut è cœlis nos æquis, optima mater,  
  Respicias oculis, nostros miserata labores.  
  Incola quod fueris terrarum, sæpe memento,  
  Ut tua te faciat magis experientia mitem.  
  Aspice ut exagitat serpens discordia reges, (1)  
  Innumerisque acies glomerant ad bella paratas;  
  Mille procul cerno nobis instare pericla.  
  Hei mihi! si resonat tormenti stridor in altis  
  Alpibus, ac hostes configunt Marte cruento.  
  Eridanum video, Tibrim, Rhenumque profundum,  
  Militibus cœsis, spumantes sanguine multo.  
  Longius à nobis abigas, purissima Mater,  
  Armorum sonitus; tulimus jam satque superque.  
  Alter erit nobis plus formidabilis hostis  
  Vincendus, tectis qui semper dimicat armis,  
  Et sine sensu sensim animabus relia tendit.

---

(1) Dum hæc scribebat author, magnum in Italia superiore bellum parabatur inter Imperatores Galliæ, et Austriae, Regemque Sardiniæ.

Oppugnant etenim certatim prava voluntas,  
Invidia alterius, dominandi cæca cupido;  
Innumeri casus circumstant intus et extrâ.  
Ac veluti navis, variis agitata procellis,  
Huc illuc tendit, securi nescia portus;  
Sic nos per scopulos vitæ contendimus hujus,  
Incerti, num vela ferant in regna salutis.  
O Cynosura poli! Tu dux, Tu fulgida stella,  
Quæ regis, immersos densâ caligine, nautas.  
Ne, quæso, ne desere tanta pericula passos.  
Per te, per natum, quem puro lacte nutriti;  
Per merita ipsius, per quæ tormenta tulisti,  
Cum cruce pendentem plorabas mortis agone;  
Per quæ cepisti post mortem gaudia mente;  
Per tibi si quidquam gratum, si optabile quidquam,  
Dulcius in terris siquid, dum vita manebat:  
Eripe nos istis, virgo sacrata, periclis,  
Atque tuum filium, nam sæpe offendimus ipsum,  
Da, genitrix facilem, justas ut leniat iras.  
Talia confratres iterumque iterumque precantur,  
Dum tua mente piâ recitant mysteria sancta.  
Fac, ut in æternum mereamur laudis honores,  
Et laeti cantare tuum; Regina, triumphum.

**AMEN.**

## ERRATAS.

---

|      |    |      |    |            |      |            |
|------|----|------|----|------------|------|------------|
| Pág. | 12 | lín. | 14 | fiant.     | leg. | fiant.     |
| Pág. | 13 | lín. | 14 | excogitat. | leg. | exequitur. |
| Pág. | 16 | lín. | 6  | mihi.      | leg. | ambobus.   |
| Pág. | 18 | lín. | 16 | eiusdem.   | leg. | eisdem.    |
| Pág. | 18 | lín. | 17 | parati.    | leg. | paratis.   |
| Pág. | 45 | lín. | 9  | nos.       | leg. | nox.       |

Dignant enim certas pravae sedes,  
Incedit illuc, dimidiat et cito.

## ERRATAS.

Innumeris vasis circumservit omnia data.

| Ad  | rebus    | rebus     | rebus | rebus | rebus | rebus | rebus | rebus | rebus | rebus | rebus |
|-----|----------|-----------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|
| Ubi | sol      | lun       | AI    | nil   | 31    | 32    |       |       |       |       |       |
| Ubi | sol      | liligooze | II    | nil   | 31    | 32    |       |       |       |       |       |
| Ubi | excedunt |           |       |       |       |       |       |       |       |       |       |
| Ubi | supponit |           | idem  | 0     | nil   | 30    | 32    |       |       |       |       |
| Ubi | anheo    | deserunt  | 01    | nil   | 31    | 32    |       |       |       |       |       |
| Ubi | eripere  |           |       |       |       |       |       |       |       |       |       |
| Quo | zeti     | peralii   | II    | nil   | 31    | 32    |       |       |       |       |       |
| No  | ipso     | zeta      | 00    | 0     | nil   | 32    | 32    |       |       |       |       |

Per te, per naturam, quem puto hunc nutritum;

Per meritum ipsorum, per quod brevem tu iustisti.

Cum eras perdulata gloriae mortis agone;

Per quos exponit post pietatem gratia misteri;

Per quos qualitera probatum, et probatio quidquam,

Dulcissimis in terris agitum, quis tibi ducas;

Eripe mea latit, vitio meo est, peccatis,

Alioquin nunc filior, nam ubi obfenditur ipsorum,

Haec genitrix facit, postea ei levavit nos.

Tali contrariis iterumque iterumque presentem.

Dum cum mente fidei resiliat mentis laetitia.

Hoc, ut in alterius momentum haec obsequiose

Et huius evanescere lumen; Regna, regnorum,

Regnum, regnum, regnum, regnum, regnum,